CORPVS GLOSSARIORVM LATINORVM

A

GVSTAVO LOEWE

INCOHATVM

AVSPICIIS SOCIETATIS LITTERARVM REGIAE SAXONICAE

COMPOSVIT RECENSVIT EDIDIT

GEORGIVS GOETZ

VOL. II

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXXVIII

GLOSSAE

LATINOGRAECAE ET GRAECOLATINAE

EDIDERVNT

GEORGIVS GOETZ ET GOTTHOLDVS GVNDERMANN

ACCEDVNT MINORA VTRIVSQVE LINGVAE GLOSSARIA

ADIECTAE SVNT TRES TABVLAE PHOTOTYPICAE

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXXVIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

MEMORIAE

FRIDERICI · RITSCHELII

SACRVM

PRAEFATIO

Glossarii latinograeci quod Philoxeni esse falso dicitur librorum manu scriptorum omnium qui quidem nunc sunt antiquissimus est codex Parisinus lat. 7651 (Regius 5479) — minus recte descriptus a Rudorffio (Abh. d. Berl. Acad. 1865 pag. 198 sqq.) — saeculo nono confectus, ex libris Claudii Puteani, qui ipse nomen suum in margine imo folii 1^r addidit. Imago scripturae tabula I infra adiecta exhibetur. Foliis constat membranaceis 219 (215—220 mm × 270—275 mm), quaternionibus XXVII ab ipso librario imo margine signatis (fol. 8^u: I, fol. 16^u: II e. q. s.; fol. 216^u: XXVII) et ternione uno (fol. 217—219). Ternionis autem tria folia posteriora excisa sunt, quorum primi quidem frustulum vestigia scripturae eiusdem librarii adhuc servat haec: *I* et paulo infra priorem partem *U* litterae. — Folio primo duplex folium (fol. 1* et 1**) tenuiore membrana praefixum est, haud dubie ab eo, qui recenti involucro codicem religandum curavit (Claudio Puteano?). Involucrum autem ne antea quidem libro defuisse inde colligitur, quod scriptura nec folii 1^r nec folii 219^u detrita est. In folio 1^{*r} non Petrus Pithoeus, ut videbatur Rudorffio (l. s. s. pag. 198), sed Salmasius, quem hunc codicem volvisse constat (cf. infra pag. XIV sq. de codice Parisino lat. 7683), indicem codicis scripsit (A fol. 1a; B fol. 25b; C fol. 96b; D fol. 35a e. q. s.) et numerum foliorum CCXX: qui cum vero numero 219 non plane congruens errore effectus est Salmasii, qui folium 79 numero XXC signaverat. Idem Salmasius in folio 1^{**r} indicem adiecit auctorum in hoc glossario allatorum: *Iuuenalis 1a. 17a.* sqq. *Liber de officio Proconsulis 6b.* sq. *Plautus 10b.* sq. — In singulis foliis codicis librarius rem ita instituit, ut utraque pagina in binas columnas 70 mm. latas binis lineis divideretur 12 mm. inter se distantes: in sinistra columna posuit lemmata latina, in dextra interpretamenta graeca. In ipsa columna latina alteram 6 mm. latam separavit, in qua lemmatum litteras initiales scriberet. Versus singulae paginae 31 exhibent 6 mm. inter se distantes. Lineas ducendas librarius in extremis foliorum marginibus designavit stilo membranam percutiens; nec vero per totum folium nisi lineas perpendiculares et directarum primam et postremam, reliquas intra singulas

modo columnas duxit, ita quidem, ut in quaternione primo lineae in folio $1^r + 8^u$, $2^u + 7^r$, $3^r + 6^u$, $4^u + 5^r$ stilo impressae, in folio $1^u + 8^r$, $2^r + 7^u$, $3^u + 6^r$, $4^r + 5^u$ expressae cernantur. — Liber omnis ab eodem librario confectus, qui atramento utebatur nunc flavescente, colore nullo, latina verba fere litteris quas vocant minusculis scripta habet. Neque enim uncialis litterarum forma adhibetur nisi in initiali lemmatum littera; deinde in illo LIBꞨ DE OFFO PROCONSVLIS (9, 20; 18, 52; 22, 29; 28, 53; 40, 46; 42, 7); denique in latinis interpretamentis loco graecorum in columna graeca scriptis. Quod autem 121, 41 *LatitaN* scribitur, videtur in archetypo fuisse *LATITAN*. — Notis librarius non utitur nisi his: & = *et* atque *ũ* = *um*, et eis quidem perraro; ferme sexies ę = *ac* scripsit. Puncta super *i* posita (58, 66; 68; 59, 1—3; 105, 13) ex graeco usu videntur irrepsisse. Septies exstat LIBꞨ = LIBER. — Graeca interpretamenta omnia uncialibus litteris scripta sunt non inter se ligatis, nisi quod Ȣ = ΟΥ frequenter, semel ϛ = CT (45, 49 ϲτιζει *ex* τιζει *corr.*) invenitur. Υ puncto simplici raro caret, non semel etiam duplicem fert. I litterae haud raro, in principio maxime vocum vel syllabarum, duplex punctum superponitur. Qua consuetudine fortasse perductus etiam Ḧ nonnumquam, velut 47, 7; 131, 23; 168, 10, librarius dedit. Notae perraro et in fine tantummodo versuum et verborum adhibentur: 1) ꞩ = αι, velut Kꞩ (et ꞩ bis) = και; Mꞩ = μαι; Cꞩ = cαι; Tꞩ = ται; 57, 11 TABꞨ; 49, 21 et 126, 25 APXꞨ), 2) virgula a sinistra dextrorsus deorsumque ducta: ⁀ = ν, quam infra per signum ~ typotheta imitatus est (cf. gl. 199, 34; 40 in tabula I). — Iota quod dicitur subscriptum deesse solet, raro adscribitur. — Spiritus librarius omnino non posuit. — Accentuum omnium una usus est forma hac: ~, quae virgula frequenter lineolae rectae ¯, sicut typotheta excudit, simillima est (cf. tabula I). Alia accentus forma ^ rarissima est (15, 26; 67, 2). In ponendis autem accentibus summa librarius erat socordia. Nam praeterquam quod interpretamenta foliorum $1—7^r$ iis omnino carent, ne reliqua quidem omnia accentus habent (cf. gl. 199, 27—29 in tabula I) et nonnulla duobus accentibus instructa sunt (cf. gl. 199, 32 in tabula I). Neque semper recte syllaba accentu effertur (cf. gl. 199, 14). Denique non semel, maxime per priorem partem glossarii, virgula ⁀ pro ν proprie posita commutatur cum signo ~ accentus (cf. gl. 38, 40 et 40, 15): unde iure concludas, haud ita consueta librario fuisse haec signa rationemque scribendi. — Latinis vocibus accentus non adscribuntur nisi 50, 28; 29; 39; 53, 37; 38; 56, 35; 103, 25. — Plura eiusdem glossae lemmata distinguuntur relicto intervallo: punctum in linea

praeterea additur, ubi diversa in eodem versu lemmata exstant, velut 44, 39. **Interpretamenta** eiusdem glossae distingui solent intervallo cum puncto in medio addito: rarius punctum deest aut scriptura continua invenitur. Continuantur interpretamenta vel partes eorum semper in versu inferiore, non superiore. — **Correxit** autem codicem ipse librarius ex eodem quem descripserat libro, saepe inter scribendum, velut 17, 3; 30, 14 et ubicumque in glossam posteriorem oculi aberraverant. Quae corrigi voluit, expunxit simplici puncto vel subscripto vel subscripto superscriptoque (110, 29), rarissime duplici puncto subscripto, atque delenda postea erasit. Rasura facta, ne interluceret scriptura, litteras subscripta virgula quae hyphen dicitur aliquotiens conligavit. Expunctis litteris rectas superscripsit: quod non semel omisit, ut 89, 53 ανε̄ιλην. Vbi vero alteram litteram superscripsit inferiore littera non expuncta, videtur voluisse utramque formam ferre, aut archetypi auctoritate aut sua usus sententia (4, 25; 38; 139, 48 al.) — **Omissas glossas** postea ita addidit, ut inter versus lemma et interpretamentum in sua quodque columna scriberet velut 5, 37, aut in ipso versu columnae latinae post lemma prioris glossae, velut 25, 23; 113, 33; 194, 20. Quam rationem iam in archetypo apparuisse effeceris velut ex 3, 33: ubi glossa *Abigeus* απελατηϲ similiter cum altera *Abigio* απελαυνω conglutinata est. Glossam 130, 8 aliasque eiusdem generis non omiserat, sed cum in illa pagina prius lemmata omnia, tum demum interpretamenta scriberet interpretamentisque glossae 130, 7 unius tantum versus spatium reliquisset, reliqua μενω̄ϲ · ευριθμωϲ in eodem versu cum insequenti glossa ponere coactus est. Contra eadem causa factum est, ut post gl. 148, 18 nimio spatio relicto unus versus vacet. — Glossae quae in margine leguntur procul dubio ab ipso librario, sed ductu minus diligenti scriptae sunt: maximam partem excerptae sunt ex ipso glossario, sed praeposita graeca voce latinae, in usum scilicet discipulorum (cf. 128, 48); aliquot tamen aliunde sunt depromptae (cf. 146, 8; 164, 34; 121, 30). Quam male is graeca intellexerit, ex glossis excerptis 183, 55; 134, 17 patet. — **Altera manus correctrix** pallido usa atramento his tantum locis distinguitur: 10, 20; 21; 40, 5; 60, 48; 76, 15; 193, 50: quae omnia Salmasium correxisse satis verisimile est. Praeter hanc quae inveniuntur aliae manus nullius momenti sunt; velut 73, 19 manus saeculi fere X plumbo litteram *e* adscripsit; eadem fortasse 33, 3 *Mirica* plumbo scripsit. — Quo saeculo **lemmata** multarum glossarum **plumbo signata** sint, non liquet: fortasse vir doctus recentioris aetatis ad levanda studia sua plumbeo stilo abusus est. Gravius vero est quod quibusdam glossis **triplex punctum** (.·.)

eodem atramento quod in contextu comparet ab ipso ut videtur librario praescriptum est (cf. gl. 199, 45 in tabula I). Quod signum utrum suum in usum ipse librarius fecerit an ex archetypo quasi fontis notam aut alius rei significationem transcripserit, parum constat. Certe non temere adscriptum fuisse inde potes colligere, quod ante 4, 34 triplex punctum spongia deletum est et glossae 4, 33 (fortasse post illam lituram?) adscriptum exstat. Eo modo signatae sunt glossae hae: **3,** 38; **4,** 33; **6,** 29; **8,** 32; 39; **10,** 8; 10; 16; 45; **11,** 12; **12,** 42; **15,** 51; **16,** 19; 31; 48; **18,** 28; **19,** 24; 45; **20,** 29; 55; **21,** 5; 6; 23; **23,** 27; **24,** 46; 47; **25,** 31; 48; 50; **26,** 4; 40; 51; **27,** 33; 36; 42; **28,** 36; 48; **29,** 3; 12; 20—22; 37; 40; 42; 46; 47; 51; 53; **30,** 11; 34; 38; 46; 50; 53; **31,** 6; 7; 12; 18; 35; 42; 43; 53; 54; **32,** 3; 4; 9; 25; 38; 43; 44; 46; 47; 49; 60; 63; **33,** 5; 6; 16; 30; 40; 48; 50; 58; **34,** 4; 9; 26; 27; 34; 55; 57; **35,** 36; 42; 47; **36,** 7; 9; 11; 50; **37,** 5; 6; 34; 35; 45; **38,** 30—32; 43; 48; 49; **39,** 6; 13; 14; 25; 34; **40,** 26; **42,** 4; 13; 14; 26; **43,** 3; 7; 8; 11; 22; **45,** 21; 22; **46,** 35; 41; **47,** 46; 48; 51; **48,** 12; 13; 15—17; 22; 30—32; 45; **49,** 4; 10; 11; 14; 16; 22; 33; 36; 38; 48; 51; 62; **50,** 3; 6; 10; 12; 18; 20; 35; 46; 47; 51; 52; 55; **51,** 2; 3; 6; 8; 15; 18; 20; 26; 28; 29; 38; 45; **52,** 13; 22; 32; 37; 40; 49; 55; 61; **53,** 1; 21; 31; 47; 50; **54,** 9; 12; 15; 16; 18; 23; 24; 28; 32; 53; 55; **55,** 10; 17; 20; 23; 25; 29; 47; 51; 55; 59; 61; **56,** 1; 22; 26; 39; 48; 61; **57,** 1—3; 5; 7; 25; 26; 43; 44; **58,** 2—4; 11; 19; 20; 22; 24; 28; 30; 37; 42; **59,** 12; 19; 20; 48; 51; **60,** 21; 49; 51; 53; 56; **61,** 19; 36; 46; **62,** 7; 9; 18; 21; 24; 27; 33; 48; **63,** 3; 53; 56; **64,** 30; 33; 34; **65,** 5; 21; **66,** 6; 28; 29; 35; **67,** 20; **68,** 18; 25; 31; 32; 41; 48; 49; **69,** 9; 10; 12; 17; 24; 25; 28; 36; 38; 45; 47; **70,** 19; 42; 55; 57; **71,** 3; 10; 18; 19; 35; 53; 57; **72,** 6; 9; 10; 20; 25; 30; 33; 48; 50; 52; 59; 63; **73,** 1; 2; 7; 15; 19; 24; **74,** 4; 36; **75,** 24; 31; 42; 43; 49; **76,** 7; 9; 21; 32; 33; 42; 44; **77,** 26; 27; 31; 33; 49; **78,** 4; 8; 18; 21; 24; 25; 46; 48; 53; **79,** 11; 12; 22; 27; 48; **80,** 10; 43; 51; **82,** 22; 34; 41; 54; 56; 59; 60; **83,** 1; 9; 11; 15; 26; 35; 36; 52; **84,** 2; 11; 13; 26; 32; 33; 37; 38; 41; **85,** 9; 26; 34; 37; 38; 41; 52; 54; 56; **86,** 1; 3; 11; 17; 25; 43; 44; **87,** 13; 14; 24; 46; 58; **88,** 20; 25; 37; 49; 50; **90,** 2; 18; 21; 22; 35; 42; **91,** 44; 46; **92,** 10; 11; 20; 46; 51; **93,** 1—3; 11; 22; **94,** 14; 20; 34; 35; 54; **95,** 13; 18; 25; 27; 31; 48; **96,** 25; 26; 45; **97,** 9; 13; 28; 32; 34; 40; **98,** 5; 12; 13; 25; 26; 29; 44; 45; 47; **99,** 25; 26; 33; 38; 39; **100,** 44; **101,** 2; 3; 8; 16; 17; 23; 26; 27; 44; 57; **105,** 10; **107,** 4; 18; **108,** 1; 51; **109,** 17; 35; 43; 44; **110,** 11; 13; 24; **111,** 35; **112,** 48; 49;

113, 14; 54; **114,** 4; 22; 25; **116,** 50; 55; 57; **117,** 15; 24; 63; 65; **118,** 11; 15; **119,** 31; 54; 56; **120,** 22; 23; 33; 41; 42; **121,** 11; 34; 38; 57; **122,** 27; 28; 31; 39; **123,** 16; 27; 32; 33; **124,** 17; 30; 35; 36; **125,** 15; 16; 35; 36; **126,** 6; 10; 30; 60; **127,** 16; 23; 48; **129,** 4; 8; 46; 49; 55; 56; **130,** 11; 12; 14; 37; 45; 51; 53; 56; **131,** 17; 27—29; 35; **132,** 27; **133,** 17; 20; 56; **134,** 1; 6; 7; 50; **135,** 3; 4; 14; 22; 27; 34; **136,** 1; 21; 27; **137,** 47; 49; **138,** 27; 37; 38; **139,** 27; 32; 39; 42; 49; **142,** 38; **144,** 9; 10; 45; **148,** 25; **150,** 14; 28; 30; 45; **151,** 13; 15; 16; **152,** 23; 29; 30; 35; **153,** 6; 8; 9; 12; 57; **154,** 54; **155,** 37; 44; 48; 53; **156,** 2; 4; 22—24; **158,** 22; 26; **159,** 15; 17; 18; 20; 22; 23; 33; **160,** 19; 20; **161,** 15; 47; **162,** 18; 21; **163,** 24; 30; 31; 45; **164,** 18; 19; 21; **165,** 23; **166,** 32; 61; **167,** 35; **171,** 14; 15; **173,** 7; 9; 11; 20; 21; 46; **174,** 30; 57—60; **175,** 26; **176,** 37; 42; 57; **177,** 9; **178,** 22; 41; **179,** 22; 25; **180,** 6; 9; 24; 27; 28; 40; 59; 61; 62; **181,** 7; 23; 55; **182,** 2; 3; 5; 12; 15; 17; 21; 45; **183,** 6; 8; 12; 41; **184,** 14; 28; **185,** 16; 25; **186,** 33; 36; **187,** 2; 17; **188,** 15; 16; **191,** 6; **193,** 15; **194,** 48; **195,** 8; 60; **197,** 13; 43; **199,** 10; 45; **201,** 36; 38; **203,** 25; 32; **204,** 18; 31; 32; **205,** 30; 48; 49; **207,** 19; 57; **208,** 1; 55; **209,** 3; 4; 7; 19; 20; 28; **210,** 14; **211,** 49; **212,** 20. — Signum crucis (X) ante gl. 47, 55 deletum et ante gl. 48, 1 scriptum quid significet dubium est. Signum ✗, quod correctiones postea faciendas videtur indicasse, in margine exstat scriptum ad glossas 116, 29; 122, 57; 127, 38; 147, 6; 203, 9. Signum ɔ in glossa 20, 42 obscurum est: fortasse littera C lineola deleta est, ita ut ω̃ pro ωc correctum sit. Nec minus obscurum est illud $\hat{\Gamma}$ quod invenitur 11, 36; 37; 165, 13; 175, 37; 176, 12; 173, 40; 199, 11; 30 et $\overset{N}{\Gamma}$ in glossa 169, 23: quae nota nisi ad originem glossarum spectat quid sibi velit nescimus.

Post subscriptionem EXPLICIVNT GLOSAE PERELEMENTVM uno versu vacuo relicto, iuxta quem manus saeculi XI/XII addidit: *Anastrofi regressio*, ab eodem librario scripta secuntur haec: *PARANIMPHVS. Nuptiarum minister. qui inter spon sum scilicet sponsamque discurrit quasi coram nimphis consis tens. quia nimphae deae sunt fontium dictae. et sicut fontes ‖ puri sunt et liquidi. ita nuptiae purum liquidumque debent amorem. ‖ AFESIS. Remissio. AMARTIS. Peccatum. AMARTION. Peccatorum ‖ AMARTILOS. Peccatrix. et dictum ita peccatum. quasi quod occultum ‖ et sine teste fit. martin enim testimonium. unde et martyr. ‖ RINOCEROS* (*C* pro *K* correcta). *Bestia quae unicornis appellatur. Dicta rinoceros. ‖ quod in nare cornu habeat. Rinae enim nares. Keros cornu est. ‖ TRAGELA-*

FVS. Bestia quam elcum uocamus. (in margine: *Tragos g̃. d. hircus. lafos. ceruus. unde tragelafos quasi hircoceruus dicitur.*) *PIGARGON. Damma.* ‖ *PHILVMINA. Amabilis. PORKION. Delectabilis. ABROTONON.* ‖ *Amplexabilis. FACETVS. Dissertus et eloquens cum ioco. PATRONVS.* ‖ *Qui clientem habet. id est qui alicui externo patris affectum impendit.* ‖ *GLIKERION. Dulcis mulier. CLIENS. Qui sub patrono est. id est* ‖ *qui ab aliquo affectum patris habet. PALESTITA. Qui palam stat.* ‖ *id est luctator. quod grece agonitheta. id est certator uocatur. quia* ‖ *agon. certamen. thesis. positio. agonitheta. certaminis positor.* ‖ *CAVILLVS. Irrisio cum increpatione. CHRISOLOGOS. Aureus ser*¦*mo. chrisos enim. grece aurum. logos. uerbum est. GARALLA. Genus*¦ *uestis talaris a qua et quidam romanus imperator caracalla ėst appellatus.* ‖ *PESSVMDATA. Perdita. PESSVMDO. Perdo. in perditionem quasi in* ‖ *profundum mitto. LIEN. id ipsum quod et splen. RIENET REN. Singulare renum* ‖ [fol. 218ᵘ] *SCĘOMANTIA. Vmbrarum inuocatio. quia grece scęa umbra est.* ‖ *NECROMANTIA. Mortuorum euocatio. necron quippe mortuorum dicimus.* ‖ *ANTHROPOMANTIA. Hominum euocatio. anthropos. grece. homo est.* ‖ *GORGONIAS. Artes meretricias. quia gorgones tres sorores meretrices fuerunt.* ‖ *quae aspicientes uertebant in lapides. idest a rationabilitate in amorem* ‖ *inrationabilem permutabant. POLIANDRVM. Multorum sepultura.* ‖ *CALCVLATOR. Computator numeri. a calculo minimo lapillo. quo iacto* ¦ *numeros antiqui comprehenderunt. CIMITERIVM. locus sepulchorum* (sic!) ‖ *Vrbs omnis. diuiditur in sex partes. id est templa. domos. uicos. insulas. plateas. et angiportas. Templa sunt loca diis sacrata. Domus. publica aedificia. id est theatra. amphitheatra. circi. balneae siue termae.* ‖ *nimpheta. culinae. pistrina. yppodromi et reliqua. Vici sunt publicę* ‖ *constructiones mansionum. Insulae. qui inter uicos sunt horti. Plateae.* ¦ *uiae latae a porta in portam. Angiportas.* (*as* pro *us* corr.) *uiae angustae inter minores uicos quae exitum ad muros aut nullum aut angustum habent.* ‖ *POLIANDRVM. Vbi multi uiri sepulturam habent. SARCOFAGVS.* ‖ *Sepulchrum grece ita appellatum. quod significat carnes manducans.* ‖ *Grece enim caro. sarcos. fagin. dicitur manducare. Vnde et polifagus. multa manducans dicitur. SERAPIS. Maximus olim deus aegyptiorum. Dictus serapis. quasi sorapis. idest sepulchrum apis.* ¦ *Soros enim lingua aegyptiaca. sepulchrum est. Quique uiuens apis fu*¦*erat dictus rex aegypti. post mortem sepultus et pro deo habitus. serapis coepit appellari. SANDAPILA. Quo mortuorum feretrum corpora* ‖ *ad sepeliundum eiciuntur pauperum. sine ditiori apparatu. Dicta san*¦*dapila. quasi sine dapila. VISPILLIONES. Cadauerum curatores* ‖ *Vnde et euispillatum domitianum imperatorem legimus. id est apopu*¦*laribus*

curatum. atque in uili sepulchro non in imperiali sepultum. Dicti || *uispilliones. quasi uixpelliones. eo quod tantae sint inopiae. uel qui cu*||*rant. uel quorum corpora curantur. ut uix pelles ad tegendum ualeant inuenire. IMBREX. Summum tecti cacumen. quod subter cauum* || *desuper acutum tecto omni superponitur. dictus imbrex. quod arceat imbres.* || [fol. 219^r] *TOLVS. Summum in nauali malo fastigium. ad quod ueli funes tra*||*huntur. quamuis tolus rotunditas illa quae in rotundis contignatio*||*nibus media ponitur. et in papilionibus eminetur dici possit.* || *SANDIX. Herba apta tincturae quam uulgus uuarantiam uocant.* || *PELLICIO. Blanditus decipio. unde et pelices concubinae uocantur quae blanditus fallunt.* || *GENVINVM. Naturam habens et effectum generandi.* || *unde et genuinus calor appellatur incentiuum naturale.* || *AGAPE. Elemosina distributio erogatio. nam agapis est dilectio. unde aga*||*pitus dilectissimus dicitur.* || *EXTORRIS. Alienus extraneus a re qualibet. Nam torris est immunis* || *et exors. quasi proiectus. ZONA. Cingulum.* || ЄΠΙ-ZONION. *Praecinctorium quasi supercingulum.* || ⊢ЄΠΤΙΖONION. *Septem zonae. dictum latine septizonium. domus* || *caenaculorum septem.* CΤO-ΦΙOC. *Zona pellicia* || KЄΡΑCΤЄC. *Cornuta genus serpentis* || ΠΛΑΤO. *Nomen philosophi. dictus plato est a latitudine scapularum.* || ΚΑΡΔΙΑΚΑ. *Pulsus cordis. cardia enim. cor uocatur.* || ΠЄΔΑΓOΓOC. *instructor et institutor puerorum.* || ΑΡΚΙΜΑΝΔΡΙΤΑ. *Princeps baiulorum et nutritiorum. siue prin*||*ceps uirorum. Andros enim. uir est.* || *POLICLETVS. Multa fingens ex aere* //// (*et* erasum) *uel marmore et gemmis.* || *poli enim grece. multum. cleton. fingere dicitur.* || *GEOMETRA. Terrae mensor. grece enim. gis. terra. metron. dicitur mensura.* || *SERIA. Eloquia grauia et uera.* || *EVFRANORAS. Bonus pictor. uel bene fingens. eu enim incompo*||*sitione greca. bonum. siue bene. franoron. componere est.* || *PERPENDICVLATOR. Mensor aedificiorum atque parietum.* || *CENTVRIAVERAT. Per centuriones centuriasue diuiserat* || *OECONOMOS. Dispensator. EMPORIVM. Importatorium nauium.* || *poros enim. portus est et locus ad quem naues appelluntur. et in quo* || *consistunt emporium uocatur.* [fol. 219^u] *PROMVNTORIVM. Eminens portilocus. siue eminentia et longe* || *apparentia insularum loca. ut sunt promuntoria siciliae pachium* || *et pelorum. EXOMOLOGESIS. Confessio. omologo enim. dicitur confiteor.* || *YPPODROMVS. Domus circa quam ludi equestres fiunt. cum equis* || *cursu in publico spectaculo certatur. yppos enim grece. equus dicitur.* || *BITHALASSVM. Locus in quo duo sunt maris sinus. thalasson quippe* || *grece mare dicitur. et bithalassum quasi duo maria.* || *THEOPHILVS. Dei amator. PAMPHILVS. Totum amans.* || *THEODORVS. Dei contemplator. THEODOSIVS. A deo datus.* || *ANAGOGES. Moralis sensus scripturae. ANATHEMA. Inanis*

quasi || sine habitu et positione et statu. thema quippe. positio est. || EVPHONIA. Sonoritas. bonus sonus. eu quippe in compositione no||minum sine uerborum. bonum sonat. ut euge. bene. eulogia. benedictio. || EVCHARISTIA. Bona gratia. quia charis grece gratia est. || ACHARISTION. Sine gratia. EVDOXA. Bona gloria. quia doxa gloria est. || EVSEBIS. Pietas. EVSEBIVS. Pius. EVTROPIVS. Bonus homo. siue bene || humanus. quia anthropos homo est. PENTATHEVCVS. Quinque librorum continentia et coniunctio. penta enim. quinque dicitur. et quinque libros || moysi. penta theucum uocamus. HERESIARCHES. Diuisionis et sectę || princeps. archos enim princeps est et magister. ut est patriarcha. pa trum princeps. EXTASIS. Excessus animi et mentis. ANASTASIS. || Resurrectio. ANACHORITA. Solitarius. DIOSCORI. Gemini. || PSALTRIAE. Cantores siue cantrices in conuiuiis cantando saltantes. || CENTONES. Ex multis pellibus uestes confectae. || ANTROMORPHITAE. Heretici qui deum humanis membris et iam in di||uinitate compositum credunt. anthropos enim. homo est. || PARTHENOS. Virgo quae coram cunctis uerecundatur. para enim. || coram est. thenos. uerecundia.

Huius autem codicis antiquissimi duo exstant apographa:

1) cod. Parisin. lat. 7652 (Colbert. 1224, Reg. 2181. 3) chartaceus, saeculi XVI, paginarum 360. Interiori involucri parti scidula adhaeret, in qua haec leguntur scripta manu Du Cangii: 'Lexicon latinogrecum vetus illud ipsum quod editum est ab Henrico Stephano an̄. 1573. Scriptum litera eleganti sed recenti ex quo (*haec duo vocabula inducta sunt*) et edito longe emendatius. adduntur ad marginem emendationes viri docti': quibus addidit manus recentior (teste Henrico Omont Sevini, qui a. 1742 catalogum inprimendum curavit): 'cod. chart. 14 saec. 1224'. Continet glossarium latinograecum ordine litterarum mutato (A B C D E F G H I L e. q. s.) nec non glossariolum illud, quod supra exscripsimus. Qui descripsit satis accurate exemplar codicis antiquissimi imitatus est; discrepantiae quotquot sunt leviores partim consilio, partim errori debentur. Margini eadem manus coniecturas adspersit saepius ad lemmata quam ad interpretamenta spectantes: ex quibus potiores exhibuimus.

2) cod. Voss. misc. lat. 1 pars 5, saec. XVII foliorum tredecim litteram T continentium. Hoc quoque fragmentum accurate examinavimus.

Ad haec apographa accedunt excerpta cod. Parisini lat. 7683, olim Philiberti de la Mare, a Claudio Salmasio scripti, quae foliis 1—24[bis] perhibentur. Quae excerpta ex cod. Parisino 7651 hausta esse ut ipsa res ita subscriptio folii 23[u] indicat, quae haec est: 'Ex libro Cl.

Puteani.' Contulit Salmasius codicis antiquissimi lectiones cum editione Stephani et ex glossis ibi aliter scriptis maxime memorabiles enotavit. Adiectae sunt emendationes ipsius Salmasii, ex quibus notabiliores excerpsimus: 11, 15/16 Agaso δοῦλος κτήνεσι παραμένων. Agear παροδος πλοίου; 15, 13 ἀρχαίως; 18, 45 οἱ περὶ τὰ υγρα ἐργαζόμενοι. οἷον ὀχετάριοι. ποταμῖται. ὑδροσκόποι; 20, 44 Anticipacio. πρόλημμα; 21, 25 εμπορος] ἔμπρος; 24, 30 λαβὴ ἀσπίδος; 51, 25 forte ἀπαγορεύειν quod uulgo dicimus esconduire; 54, 39 ἡδυτης; 55, 32 σχίον. sic σχιάδα pro ischiada apud Martianum Capellam; 60, 9 χεραφέται; 73, 23 εὔθλαστον; 77, 28 προτομόφορος; 79, 31 ἐνέστυψεν; 81, 34 Inenodauilia; 90, 6 διαστάσια καιρου; 124, 20 σμῆμα; 158, 44 ἡ μετὰ τὴν μνηστείαν ἡμερα ἀσχολίας; 168, 49 ξύσματα; 169, 22 ἀνάσιμος; 176, 3 καινότης; 192, 12 ὥστε ὑπώπια ποιεῖν; 193, 25 ὑπερώια ἢ ἀνώγειν; 200, 27 απαλλαγη; 201, 41 λαγγων δυσέκλυτος.

Reliqui codices hi sunt:

1) codex Parisinus lat. 7653 (codex inter recens emptos 42. Regius 2752. 5.) chartaceus, 153 paginarum, saeculo XVI ab homine ignoto scriptus, certe non a Petro Pithoeo, quae fuit sententia Rudorffii l. s. s. p. 203. Ordo litterarum convenit cum cod. Parisino 7651; glossariolum, quod illic adiectum est, non exstat; inter versus et in margine adscriptae sunt coniecturae non ita paucae, quarum partem exhibuimus.[1]) Codici subscribitur hoc: Finit. Explic. lexicon latinograecum (nisi quod 'Finit' postea inductum est). Titulus hic est:

GLOSSARIVS S
~~LEXICON~~ · LATINOGRAECV~~M~~

incerti quidem auctoris, sed perue‸(tu)stu~~m~~(s) cū uetustissimo codice manuscripto S.[t] Germani Parisiensis diligentissime ////////////// collatu~~m~~(s) (nisi quod 'cū' ex 'ex' corr. et in rasura fuerat: 'exscriptum et').

2) codex Leidensis Scaligeri 25 chartaceus saec. XVI a Scaligero confectus. Continet praeter alia a fol. 3[r] ad fol. 73[r] glossarium latinograecum eodem ordine qui est in cod. Parisino 7651 cum coniecturis non paucis eadem manu margini adscriptis. Subscriptio haec est: 'Finis Glossarii veteris qui exscriptus est ex veteri codice coenobii S. Germani Parisiensis ad suburbia'; inscriptio haec: 'Glossarius'. Coniecturarum partem maiorem excerpsimus et exhibuimus.

3) pro codice nobis est editio Henrici Stephani anni 1573, quam falso putat Rudorffius ex cod. Parisino 7651 pendere. Editi

1) Quod in codicum conspectu diximus, *b* littera indicari marginem cod. Parisini 7653, id ad solas emendationes spectare monemus. Nam glossae abundantes (cf p. XVII) quas eodem signo signavimus in ipso contextu exstant.

glossarii inscriptio haec est: 'Lexicon latinograecum vetus, Glossa nomine inscriptum: Ex quo multae antiquae sermonis Latini voc hactenus incognitae, quaedam etiam Graecae cognoscuntur. Seru est fideliter veterum codicum scriptura, praeterquam in aliquibus m dis apertissimis. Alicubi etiam a prava scriptura ad rectam lec remittitur. Quae autem voces Graecae accentu carent, eae mendo sunt'. De fonte Stephani haec est disputatio Du Cangii initio pr fationis glossariorum a Labbaeo compositorum exhibita: 'At licet quibus ea deprompserat Bibliothecis non indicaverit, constat tamen eiusce aevi Scriptoribus, Glossarium Lat. Graec. inventum primo fui a Petro Daniele IC. Aurelianensi, cui Servium, Querolum, alios non minoris momenti MSS. codices debent quotquot sunt eruditi, Adriano Turnebo illud primum communicavit, ille vero Iaco Cujacio, ut ipsemet agnoscit Cuiacius: *Veteres Glossae,* inquit, *q a doctissimo Turnebo ad me pervenerunt beneficio eiusdem Danielis, a Turnebus acceperat, ut idem in Adversariis suis retulit* &c. Sed et sephus Scaliger illud etiam tum vidit, ut scribit Auctor Scali rianorum, ex quibus Notas in Varronem[1]), Festum et alios Scripto non semel collustravit: *B. Germani Glossae sunt inventae a Petro niele, qui primum eas monstravit Cuiacio: secundus ab eo vidit Scali post Turnebus*[2]). Vbi B. Germani Glossae dicuntur, quod ex Bib theca Monasterii S. Germani Paris. primo erutae sint, quod testa non uno loco Brissonius lib. de Verborum significatione, 2. edition

4) codex Leidensis Scaligeri 61 saec. XVI, qui a fol. ad fol. 90^r excerpta ex eodem glossario exhibet, ab ipso Scalig

1) In notis ad libros de l. l. glossae non commemorantur; semel at iterum in notis ad libros de re rustica. Scaliger ipse hoc dicit loco qui ad adferetur: 'Je m'en suis bien servy en mon Festus; je l'ay cité le premi F. Ursinus mea Simia se les fit avoir, et depuis les a citez' (h. e. a. 1565). A superiore iis usus erat Turnebus in adversariis: cf. XVIII, 28; XIX, 2; XX, 6; 30; 36; XXI, 2; XXVII, 10, alibi. Glossarum solet dare formam emendatam.

2) Cf. Scaligeriana ed. Hag. Com. a. 1666. p. 144: 'Les glossaires ne val rien pour le Grec, mais seulement pour le Latin. P. Daniel qui n'estoit pas plus doctes, les avoit trouvez à St. Germain, les monstra à Monsieur T nebus et à moy' (secuntur verba supra allata) ... 'j'en avois faict un extr que je voulois monstrer à Muret et Manuce en Italie, quoy que Manuce ne f pas grand Grec, mais estant à Lion, R. Constantin, qui faisoit son Lexicon, pria de les luy laisser, quod feci.' Adde epistulam Scaligeri apud Hagenum (' Jurist und Philolog Peter Daniel'), p. 21. — Porro cf. Turnebus Adv. XXVII, 'Legi in bilingui vocabulario perquam vetere quaedam, quae admonitione di credidi, et in apertum proferenda duxi: cum eum librum sibi videatur utraque lingua doctus parasse.' Suspiceris, illum virum fuisse ipsum Petr Danielem. Cf. Cuiacii verba (= Observ. X 34) a Du Cangio exscripta.

scripta et coniecturis in margine aucta: cuius est inscriptio '*Glossarius*' (cui addidit alia manus: *editum a Labbaeo*), subscriptio autem haec: '*Finis epitomae glossarii S. Germani*'. Huius epitomae apographon confecit Burmannus (cf. Ms. Burm. Quart. 5. VII). — Idem codex a fol. 90^u ad 92^r continet glossariolum graeco-latinum, quod esse 'spicilegium quarundam Philoxeni glossarum ob vocum graecarum raritatem insignium, lemmatum et interpretamentorum ordine nimirum permutato' Loewius Prodr. p. 183. adn. 3 exposuit. Ceterum haec quoque Burmannus descripsit.

5) codex Bernensis 189 saec. XVI chartaceus, formae maximae ('P. Danielis philologica'), qui uno et vicesimo loco foliis 22 excerpta uberiora ex litteris A, C, T continet. Idem liber tertio loco triginta fere glossulas ex littera T excerptas exhibet.

Tres quos commemoravimus libri — nam de excerptis non est quod accuratius agamus: satis est dixisse, ex simili vel eodem ea manasse fonte — ita inter se cohaerent, ut ad eundem codicem Sangermanensem rectissime referantur omnes[1]) et omnes pariter a vetustissimo cod. Parisino 7651 discrepent; cuius discrepantiae duplex genus notandum est: 1) saepissime fit, ut ubi cod. Par. 7651 eandem glossam repetat vel similes glossas exhibeat, unam praebeant tres codices sive contaminatam sive reliquis simpliciter abiectis; cuius rei exempla haec sunto: p. 7, 37; 38; 11, 16; 17; 40, 12; 13; 52, 16; 18; 63, 8; 9; 71, 50; 51; 72, 21; 22; 73, 21; 27; 76, 19; 20; et sic passim. 2) glossae non ita paucae in his libris exstant, quas vetustissimus codex omittit, velut post 5, 36; 6, 17; 13, 13; 58, 60; 59, 10; 67, 47; 69, 40; 73, 48, aliae. Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin ad eundem omnes fontem redeant, nimirum codicem Sangermanensem a Petro Daniele protractum, quem prava coniectura Rudorffius cum Parisino lat. 7651, qui numquam fuit Sangermanensis, confudit. Codex Sangermanensis quibus fatis usus sit nescimus[2]): nam ne in eis quidem libris, quos Dubrowsky ex Sangermanensi bibliotheca Petropolin avexit, eius vestigium reperiri et Rudorffius p. 200 testatur et Ernestus Schulze quem ea de re consuluimus confirmavit.

Redintegrata autem memoria codicis Sangermanensis quaerendum

---

1) Stephanum neque codice Par. 7653 neque Leidensi Scal. 25 usum esse inde patet, quod modo cum illo modo cum hoc glossas exhibet ab alterutro omissas: velut gl. 108, 26 om. Parisinus 7653, exhibet cum Leid. Stephanus; idem cadit in gl. 110, 44; gl. post 122, 28 et 29; gl. 123, 58; 157, 46—49. Contra desunt in Leid. glossarum post 121, 56 insertarum secunda, tertia, quarta, ut mittam alia.

2) Cf. p. XVI adn. 2. Fortasse Petrus Daniel abstulit.

est qua ratione cum Parisino 7651 sit coniunctus: qua quidem quaestione aut nihil aut non multum glossis omissis aut contra permultum glossis abundantibus tribues. At mira est harum glossa ratio: 1) magna earum pars ordinem litterarum qui sane ne in vetus simo quidem anxie servatur non accurate servat vel turbat. Exen exstant post 6, 17; 13, 13; 15, 45; 15, 49; 54, 57; 59, 10; 63, 47; 40; 74, 6; 76, 8; 82, 24; 92, 59; 93, 34; 95, 12; 96, 38; 97, 57; 43; 104, 40; 112, 55; 115, 26; 119, 51; 121, 56; 124, 12; 125, 126, 46; 128, 56; 129, 36; 141, 48; 154, 37; 164, 54; 165, 173, 14; 176, 30; 177, 45; 178, 30; 184, 10; 196, 14; 198 210, 42. Cuius generis si pauciora exempla essent, facile excu possent: sed magna earum frequentia non potest non suspicio movere, interpolata esse omnia, praesertim cum in eis frustra glo quaeras, quas memorabiles merito dicas. — 2) Nonnullae ex glossis iam per se suspectis in codice Parisino lat. 7653 dicu 'alia manu' scriptae fuisse: quod utrum librarius adiecerit sec suum iudicium an ex ipso Sangermanensi receperit quamquam d tari potest, tamen probabilius illud est, quandoquidem in Leidensi simile invenitur. Exempla sunt haec: gl. post 63, 47; 74, 6; 76 82, 24; quibus adde glossas ordinem non turbantes hasce: post 58; 73, 48. Mirum est quod illud 'alia manu' tantum glossis a 62 ad fol. 86 codicis Par. 7651 exhibitis adiectum est. — 3) Q restant glossae, adeo sunt triviales, ut merito in eandem traha suspicionem: cf. post 5, 36; 15, 35; 43, 29; 50, 1; 64, 3; 67, 102, 51; 105, 17; 129, 8; 143, 38; 159, 19; 185, 30; 204, 33; 209, 23 4) Accedit quod quaecumque exstant adiectiva aut substantiva, unum omnia nominativi formam prae se ferunt, quod, cum ceteroq omnes casus exhibeantur, vix casui tribuendum videtur. — Omni his rebus coniunctis fieri vix potuit quin concluderemus, null harum glossarum antiquo glossario vindicari posse.

Abiectis autem his glossis aperte interpolatis codex Pa nus 7653, quem accuratius quam Leidensem novimus, tam pr ad vetustissimum accedit, ut et apertissimos errores permultos cum eo exhibeat et discrepantiae longe plurimae facillime ex possint derivari sive explicari. Communes errores commemora neglectis minutulis rebus notabiles hosce: 109, 20/21 (*Cong et conglomero* cυναθρōι | *Congregat* cυναθρōιζει · ‖ cυμφορειζω, ubi post cυμφορει ad cυναθρōι pertinet); 116, 23 (*Coquus* μᾱγειροc · cιο · μετᾱβολοc pro *Coquus* μᾱγειροc | *Cocio* μετᾱβολοc); 164, 51 (*Pr ergorgia eabotes dicuntus quoties samos extegenerant* quae misere rupta sunt); 162, 5 (*Propediem* τηνταχῑc · τηνταχceoc pro *Propea*

τὴν ταχίςτην, ταχέως); 188, 5 (*Statutus dies* ωριc εθετομενη ‖ ημερα · προθεcμῖα pro ωριcμενη ημερα · προθεcμῖα: nam εθετο ad antecedentem glossam pertinet); 188, 23/24 (*Sterneaequum* επιcαξοντο | *Sternit* cτρωννυει ιππον, ubi ιππον cum τον coniungendum); 188, 31/32 (*Stimulat* παροξυνεῖ · επιγειcα | Stigat cτιγατ · νουθετει · ‖ επιπληττει pro *Stimulat* παροξύνει, ἐπείγει | ⟨*Stimulat*⟩, *castigat*, νουθετεῖ); 189, 42 *Studium* (pro *Studeo*); 197, 9 (*Terqui* ν τοc δορα ζωιων pro *Tergus*, νῶτος, δορὰ ζῴων); 197, 40 (*Termino* τερμα εκτρῖτουτιζω pro τερματίζω: nam ἐκ τρίτου ad antecedentem glossam spectat). Nec pauci tales sunt, ut ultro se offerat coniectura, Sangermanensem ex ipso Parisino 7651 esse descriptum: velut 139, 48 Parisinus 7651 habet *oriculae* (a suprascr.) et Parisinus 7653 *Oauriculae*; cf. 177, 31, ubi glossam in contextu habet Parisinus 7653, quae marginalis est in Parisino 7651; idemque cadit in gl. post 168, 48 (*Hernia ramex*) et gl. 208, 53 (*Vincit* νικαι *unde enicas superas*). Vt paucis rem complectamur: certum est, Sangermanensem inutilem esse, probabile, eum ex ipso vetustissimo cod. Parisino 7651 esse transcriptum. Itaque huius codicis memoriam solam repraesentandam esse duximus.

De editionibus nolumus multa praefari. Editio Stephani prodiit Parisiis a. 1573; eandem repetiit erroribus quibusdam correctis, sed pluribus adiectis Bonaventura Vulcanius a. 1600 (in Thesauro utriusque linguae). Adiectae sunt 'Bon. Vulcanii Brug. Notae et Castigationes in glossaria utriusque linguae', quas non tam Vulcanii quam Scaligeri esse collata hac editione facile perspicitur (cf. Loewius Prodr. p. 183): nam ab adnotationibus marginalibus Scaligeri si discesseris, pauca relinquuntur quae ad Vulcanium revocari possint. Tertia editio est Caroli Labbaei, qui Scaligero ex parte auctore diversa glossaria confudit contaminavitque: quam editionem publici iuris fecit Du Cangius a. 1679.

Praeter codices manu scriptos diligenter adhibuimus exemplaria quaedam impressa coniecturis in marginibus aucta. Sunt autem haec: 1) Stephani exemplar Leidense bibl. publ. gr. 3 ab Iosepho Scaligero adnotatum; adnotationum quattuor genera sunt: a) Scaligeri coniecturae, quas exhibuimus; b) supplementa ex 'Cyrilli' glossis petita; c) supplementa ex glossis 'Servii' hausta, P littera insignita; d) supplementa alia quaedam, quorum fontem nondum indagavimus: tamen neque multa sunt, neque talia, ex quibus multa lucremur. — 2) Stephani exemplar Parisinum bibl. nat. X 942, olim Claudii Puteani: excerpsimus adnotationes potiores ex litteris B—F. Cuius sint adnotationes nescimus. — 3) Stephani exemplar Leidense 764. B. 8 ex bibliotheca Isaaci Vossii, adnotatum

a Francisco Iunio (cf. Catalogus a. 1716, p. 281). Ex hoc quoque notabiliora exhibuimus. Cum his adnotationibus artissimo vinculo cohaerent 'Notae in glossarium vetus' codicis Parisini Suppl. gr. 83 ('copié en 1652 à Stockholm par P. D. Huet'), de quo non omni ex parte recte egit Augustus G. Engelbrecht in stud. Vindob. V (a. 1883) p. 322 sqq.; neque dubitari potest quin ex Isaaci Vossii codice transcriptae sint, eiusque rei testimonium exstet in indice folii primi, ubi legitur: 'Notae in Glossarium vetus Philoxeni. G. I. V.', h. e. Gerardus Ioannes Vossius, a quo filius librum videtur accepisse. Quod Froehnerus dicit (cf. Loewii Prodr. p. 184 adn.), illas coniecturas niti codicis cuiusdam Vaticani scripturis, merum errorem esse apparet. — 4) Stephani exemplar Leidense (codicis Voss. miscell. lat. 1 pars XII) adnotatum a M. H. G., h. e. a Melchiore Haiminsfeldensi Goldasto, non ab Hugone Grotio, ut est in catalogo.[1]) Praeter has inspeximus Vulcanii exemplar Leidense 758. B. 17 adnotatum ab Isaaco Vossio: sed adnotationes fere omnes Scaligeri sunt ex cod. Leidensi bibl. publ. gr. 3 petitae, qua re silentio transmisimus. Porro inspeximus Vulcanii exemplar Leidense 758. B. 18, quod Meursius adnotavit; sed adnotationes cum nullius momenti esse viderentur abiecimus. Alios eiusdem bibliothecae libros adnotatos in glossario generali adhibebimus.

Sed satis de his glossis: nunc ad graecolatinas quae Cyrilli esse immerito dicuntur transeamus. Huius igitur glossarii codex vetustissimus est Harleianus 5792, saeculo VII scriptus, qui per Robertum Harley 18. die mensis Ianuarii AD. 1723/24 a Nathaniel Noel bibliopola (cf. Catalogue of ancient manuscripts in the British Museum. Part. I Greek. London 1881. p. 10) cum aliis codicibus Cusanis emptus est. In folio 1r manus saec. XV inscripsit *Nicolaus de Cusa* et *Glossarium Grecolatinum*; ibidem manus saec. XVI inscripsit: *Iste liber pertinet ad hospitale s̄ti Nicolai circa uillam cuse*

1) Cum hoc exemplari conferendum eiusdem bibliothecae exemplar Vulcanii 758 B 21, olim Bondami: ex quo exemplari haec exscribimus: 'Emendationes litera G. notatae debentur exemplari bibl. Leid. (vid. Cat. 401 n. 1) ex quo hic descripsi. errant tamen qui in Catal. illa M. H. G. exponunt „manus Hugonis Grotii." etenim manus nusquam apparet Grotiana. sed decepti fuere similitudine forte manus H. Stephani cum Grotiana, qui hinc inde aliqua notaverat in margine eiusdem exemplaris, quae etiam descripsi, praefixo semper Stephani nomine; potius illa M. H. G. exponerem Melch. Hamensf. Goldastus. Coniecturam istam firmant Xenia Martialis ms. quae in eadem collectione glossariis iis statim praecedunt quaeque olim ad Goldastum pertinuisse manifeste constat, utpote ei ab alio viro docto missa, ceu manus ostendit.' Haec verba sunt Bondami.

in opposito bernkastel situatam; alia denique manus adscripsit: *Groess is der herr ind vber cressus ryche. den du besitzes.* In folio 277 inter ea quae diversae manus conscribillaverunt etiam ductus merovingicus conspicitur, unde concludes apud Gallos hunc codicem olim fuisse.

Codex 277 foliis membranaceis (215 × 293 mm), quorum folia 1^r et 277 scriptura vacant, continet haec ab eodem librario scripta:

1) fol. 1^u—240^u glossas graecolatinas;
2) fol. 241^r—259^u idiomata generum;
3) fol. 260^r—266^r synonyma Ciceronis;
4) fol. 266^u—272^u alia synonyma Ciceronis;
5) fol. 273^r—276^u praecepta quaedam medica.

De synonymis Ciceronis, quae tripertitis paginis et relictis multis magnisque lacunis scripta sunt, et de praeceptis medicis alio loco accuratius agetur; nunc ea tantum quae extant in foliis 1—259 describentur.

Folia non eadem omnia sunt membrana crassa: quae tenuiore membrana sunt, in interiore fasciculo inveniuntur. Composuit autem librarius folia ita, ut duodecim fasciculi primi octona folia, posteriores vero viginti et unus numerum foliorum amplectantur, qui inter septem et duodecim versatur; signavitque fasciculos in imo margine ultimi folii: 8^u q̄ I; 16^u q', II; 24^u q̄ III; 32^u q IIII; ... 96^u q̄ XII; 103^u q̄. XIII; ... 269^u XXXII; postremi autem quaternionis (fol. 270—277) nota cum imo margine videtur abscisa esse. — **Versuum numerus** inter 34 et 38 versatur: quos ubi librarius extremos margines cultello perpungens delineavit, ita per totum folium duplex induxit, ut in cuiusque quaternionis foliis 1^r 2^r 3^r 4^r 5^u 6^u 7^u 8^u inpressae, in reliquis expressae cernantur. Directae lineae cuiusque paginae secantur sex lineis perpendicularibus, quarum duae primae et duae postremae spatiis 8 mm. inter se distantes discernunt margines exteriorem et interiorem, medium par 20 mm. inter sese distans lemmata et interpretamenta distinguit. — **Scripturae** litteris uncialibus confectae imago exhibetur in tabula II, folium 171^u repraesentante (in catalogo supra commemorato tabula 13 imago folii 172^u et in libro qui inscribitur 'Palaeographical Society' (series II a. 1885) tab. 25 imago folii 173^r exhibetur). A solitis litterarum formis quae in tabula exstant diversae inveniuntur hae: M = μ ter (251, 8; 319, 42; 43); V = υ raro (ut 331, 40; 335, 16; 453, 9 et 452, 56 *collybum*); litterae Y punctum superscribere librarius aliquotiens omisit, contra nonnullis in verbis supra Iota duplex punctum posuit, quod typotheta iussus est imitari; non autem exstat Ï nisi post vocalem (cf. Αηϊον, Μυϊα, Ναϊϲκαριον) aut in principio verborum (cf. fol. 102^r et 103^u

atque Ενΐϲταμαι, Εξΐδρω, Καθΐδρυω, Ϲυνΐδωϲ, alia). Idem usus in latin verbis exstat his: 259, 41 *heïulor;* 311, 8 *ïouis;* 311, 50 *aene ïdo* 330, 50 *ïdus;* 352, 48 *ïuba;* 406, 26 ***aïcio;* 426, 11 *ïanitor;* 457, ***maïlis*). Forma cc = *a* bis tantum (242, 20 *abitus;* 378, 48 *declina bitur*), formae b = *b*, ubi *b* pro *u* corrigitur, et V = *u*, ubi litte superscripta est, inveniuntur. Pro S in archetypo etiam forma ſ scripi fuerat, quae forma legitur velut in codice Gai Veronensi et in Fl rentino Digestorum (tab. I ed. Mommsen) atque in papyris Helmstadie sibus et Coloniensi (cf. infra p. XXXXI); eam tamen formam librari bis tantum servavit: 306, 52 *gresſum*; septies per ı h. e. Iota supe scripto puncto reddidit: 255, 42 *aenesdos* (sic!); 290, 21 *elisos oc los* (puncta post addidit ipse librarius); 325, 30 *aruspex*; 343, 1 *aene dos*; aliis locis sive quia non intellexit formam minus usitatam, si quod apicem parum dignovit, tamquam I transcripsit, quae inven tur his locis: 246, 14 *ęncidoi*; 287, 50 *suiceptus*; 304, 25 *contemptu* 316, 35 *periudum*; 430, 12 *neicio*; 459, 57 *uliella*; 472, 30 *terentiu* aeque I transcripta fuerat, sed eodem vel persimili atramento, fo tasse ab ipso librario apex additus est, ut forma ſ efficeretur: 33 23 *bucolicis*; 417, 30 *rostra*; 427, 27 *rostrum*; 430, 12 *nisi*; ap ab alia manu (saec. XVI) additus est 307, 34 *reicisco* et 388, 55 *e* Formas *ae* et *ę* nullo discrimine librarius posuit, ut 333, 22 *ęqualit* scriberet, cum *aequal* antea scribere coepisset. — Colligant inter se litterae ηɾ, ημ, ηρ, ηϲ et *ae, ll, ns, nt, up, ur, us;* atq litteras *us* iam in archetypo colligatas fuisse ex eo patet, quod n numquam *is* pro *us* scribitur, maxime in fine versuum, velut 3 50 *insanis.* — Sigla in graecis verbis perpauca adhibentur: virg ⁓ pro ν posita 497, 50 Παραπυλιον. Deinde Π = παι 439, Ъ = ται 457, 23 et 470, 20; Ӿ = χαι 470, 20; Ƙ = και ut 324, 57; 326, 6; 447, 1; 5; 7; 427, 7; 471, 13; 476, 21; sola Κ pro legitur 331, 14; μ̃ = ματα 451, 14; fortasse etiam 323, 45 αποϰ ϲταϲιϲ et 327, 45 ϱσαγομενη siglis male intellectis ex archety transcripta sunt. Plura sigla in latinis vocibus adhibentur: sae q: vel q · = *que* et B: = *bus*; deinde ω' = *mus* 358, 31 *splendedis mus* et 337, 15 *culmus*: quam notam iam in archetypo fuisse et ma translatam colligere potes ex 325, 35 *tranquillissimus*; ꝵ = *ru* 471, 39 *uerborum*; 332, 10 *lorum*; ꝑ = *per* non raro; uirgula ⁓ p *n* posita in fine maxime versuum 290, 54 et 294, 54 *non*; 352, *cauton*; 358, 32 *splen dor*; 355, 62 *pecten*; 348, 14 *bucolicon*; 387, *sponsio*; 456, 35 *tantundem*; 461, 21 *forsan*; 464, 28 *limen*; 21 44 *rinctus*; eadem virgula etiam saepius pro *m* posita: 289, 33 *ir cundiam*; 383, 27 *confectim*; 448, 49 *comparator*; 306, 52 *gressum*

216, 51 *fidem rumpo* et sescenties in syllaba finali *—um*; *sci* = *sancti* in glossis 216, 22—28; *uirg*: vel *uirg.* vel *uirgil.*; 423, 1 *terent. cautontim*; saepe *lib:* vel *lib.*; 409, 32 *gen* = *genetiuum*; saepe *sing.* vel *singul* vel *singularit* et *plur* vel *plural:* vel *pluralit* vel (452, 37) *pl* (sic); *decl.* vel *declinab:* vel *declinabit.* — 329, 24 signum ·/. videtur per *id est* explicandum esse; 372, 58 signo ◡ interpretamentum *unio* (= coniunctio vel hyphen?) illustratur, nisi forte mauis id signum tachygraphico ductu vocem *unio* repetere; 262, 53 de signo 8 non satis liquet (= ου = ουδετερον?). — Iota littera quae subscripta dicitur nusquam reperitur; nec spiritus aut accentus librarius posuit. — Scripturam codicis saepissime continuam typotheta imitatus est, quantum fieri potuit. Graeca verba, si plura in uno versu exstant, intervallis distingui non solent; dirimuntur tamen, ubi prior vox posteriore definitur, velut 362, 38 Λοιπον επιρρημα; 380, 49 Οιανθητο ανθοcτηcαμπελου et 365, 39—41; 405, 3 (cf. tabula II); rarissime etiam puncto addito in medio velut 362, 37 Λοιπον · ονομα; aut ubi vocales committuntur, ut 361, 39 Λιτη ητοιλιτανια; 376, 7 Νεωνραμφη ητοι εμβολοι; 461, 26 Τω οντι. Latina verba multo saepius quam graeca intervallo distinguuntur, aliquotiens puncto addito in medio ut 215, 31; 44; 280, 23; 378, 48. Coniuncta verba disiunguntur apostropho, ut 215, 7; 8; disiunctae syllabae coniunguntur subscripto hyphen, ut 452, 48. Lemmata quae ad interpretamenta usque pertinent, ab eis simplici vel duplici puncto separantur, ut 241, 58; 242, 5; raro triplici puncto, ut 300, 27; 443, 13. Post interpretamenta punctum fere non ponitur nisi post ultimum cuiusque paginae. Longiora interpretamenta semper in inferiore versu continuantur, exceptis duabus glossis 224, 66 et 225, 7, ubi *erroneus* et *tur* supra scripta sunt. Apostrophus scribitur 389, 9 Ουδ᾽οποτερον et 389, 10—12; 390, 40. — Novam glossarum seriem librarius aliquotiens in foliis 140—222 lineola vel virgula in margine adscripta signavit, velut ante Υει et Υϊαφιον et Υλαγμοc: eodemne spectet virgula cum puncto ——· ante glossam 281, 20 scripta an signum sit mendum indicans, in dubio relinquimus. Neque certum est, quid signum ↿ velit ante glossas scriptum hasce: 253, 29; 299, 55; 302, 9; 33; 307, 39; 309, 40; 60; 310, 9; 19; 26; 311, 10; 313, 28; 316, 53; 321, 30; 337, 8; 338, 1; 338, 27; 28; 344, 10; 347, 4; 5; 30; 67; 349, 33; 351, 18; 61; 352, 3; 52; 356, 27; 357, 15; 29; 359, 24; 360, 4; 17; 18; 28; 361, 16; 362, 58; 63; 363, 40; 365, 31; 366, 39; 48; 55; 367, 8; 368, 9; 19; 20; 28; 370, 30; 373, 3; 10; 41; 378; 11; 14; 380, 7; 50; 392, 20; 21; 28; 394, 13; 14; 395, 49; 57—59; 397, 26; 47; 398; 14; 399, 14; 400, 5; 23; 401, 42; 402, 38; 47; 408, 16;

410, 19; 413, 37; 415, 44; 417, 51; 419, 11; 31; 424, 47; 51; 56; 425, 6; 426, 22; 42; 43; 57; 427, 49; 428, 9; 429, 8; 18; 37; 54; 58; 430, 4; 17; 45; 432, 18; 433, 34; 36; 434, 8; 435, 34; 438, 7; 439, 12; 31; 32; 34; 59; 440, 32; 443, 11; 21; 27; 49; 445, 38; 447, 20; 448, 54; 449, 15; 55; 450, 3; 9; 37; 61; 62; 451, 1; 453, 28; 454, 12; 455, 27; 37; 456, 32; 457, 8; 458, 37; 38; 55; 459, 10; 20; 45; 460, 39; 59; 464, 15; 16; 466, 47; 471, 28; 476, 36; 482, 1; 4; 501, 67 atque post glossas 350, 9 et 385, 25. Quarum glossarum quia pars longe maxima interpretamento caret, id ipsum illo signo librarium notasse haud alienum est coniectare. Quo spectet magnum signum crucis † ante glossas 227, 7 et 34 scriptum, non patet. — Littera initialis primae glossae cuiusque ordinis (Α, Β, Γ...) reliquis maior est: praeterea inter A et B decem versus, inter reliquos ordines unus vel duo versus scriptura vacui relinquuntur, qui lineis vario modo complicatis ornantur. — Quae peccaverat librarius ipse correxit et inter scribendum et postea, spongia, cultello, calamo usus. Abundantem litteram delevit simplici vel duplici puncto superscripto aut subscripto superscriptoque, aut lineola transversa aut lineola cum punctis; falsam litteram aliquotiens non delevit, sed simpliciter veram superscripsit, quod quidem genus corrigendi omnino non differt ab altero, quo omissae litterae superscribuntur, hiatus loco non semper puncto indicato. Quem usum iam in archetypo fuisse efficere potes ex 443, 41 *conciano* (= *concino* pro *concano* corr.). Pro falsa littera erasa aliam supplere librarius omisit 263, 46; 308, 5; 362, 24; 403, 47; atque non semel oculis aberrans emendationem alienae glossae attulit, sicut glossam 275, 23 correxit pro insequenti. Glossas quas deleri voluit librarius uncis inclusit, ut 229, 47; 286, 23; 302, 36; 303, 59. Omissa verba in margine adscripsit, ut 285, 33; etiam signo *h̄p* praeposito, cui respondet signum *h̄d* in lacuna scriptum, ut 365, 9. Ordinem glossarum 456, 5—7 falso scriptum restituit praepositis in margine litteris Α, Γ, Β. — Inter alienas manus correctrices quae in codice conspiciuntur, saepius comparet manus saec. XVI pallido atramento usa, quae secunda infra appellatur. Ea nonnulla lemmata spiritu accentuque (ut in folio 33ᵘ) instruxit, lacunosa verba studebat supplere (cf. 404, 36 et tabula II), glossas aliquot delevit, aliquot correxit. Qua in re mirum est quanta cum Stephano sit congruentia: quamquam non desunt, quae frustra apud Stephanum requiras, velut gl. 361, 44; 378, 39; 446, 23; 456, 31; 32; 482, 43. Praeterea ordinem fasciculorum cum animadvertisset turbatum — quaternio enim XVIIII (= fol. 144—152) post quaternionem XXI inter folia 167 et 168 tum temporis exstabat —

in imo margine folii 143ᵘ adscripsit: *Verte aliquot folia.* — Alia manus saeculo IX/X flavescente atramento et ipsa quasdam glossas delevit (cf. 330, 52—55; 331, 3—6); eadem passim, maxime in fine foliorum (4^r, 7^r, 10^r, 13^r, 16^r...), signum crucis + posuit, atque in fine folii 90^r verba *hic usque* scripsit. Ab hac autem diversa videtur manus saeculi fere decimi, fusco atramento usa, quae inter glossas 254, 23 et 24 glossam ΑΧΙΔΝΑ. *Vipera* et in margine folii 40^r *abcdefghik* adscripsit. Alia denique vel aliae manus saeculo IX, ut videtur, hic illic correxerunt, ut 391, 54; 404, 27—32 (cf. tabula II).

Exemplar ex quo hic codex transcriptus est nonnullis lacunis deformatum erat: eas librarius non temere neglexit, sed accurate imitatus spatium litterarum deperditarum ita reliquit, ut voces, syllabae, litterae supplendae tantum non ubique ex amplitudine lacunae relictae effici possint. Nam in glossis 406, 38—407, 6 conveniens spatium relinquere fissura membranae prohibitus est. Quanta eius fuerit sollicitudo ac diligentia etiam ex eo patet, quod quibusdam locis iam coeperat reliquias verbi mutilati scribere, sed accuratius facta computatione ampliorem lacunam reliquit: itaque apex litterae inceptae exstat in lacuna 405, 12; 17 (cf. tabula II) et 396, 20. Neque magis litteras mutilatas neglexit, sed reliquias servavit; nam in glossa 419, 24 Προνοι littera ι videlicet prior apex litterae η mutilatae est; cf. 397, 1; 404, 36; 415, 45; 416, 25; 26; 417, 20; 423, 59; 488, 5. — Quibusdam in locis numerus litterarum deperditarum propter condicionem scripturae accurate definiri non potest: velut 366, 44 post Μελ duas fere litteras periisse admodum probabile est: potuit tamen lacuna etiam ad interpretamentum usque pertinere, ut plures litterae deessent. Neque illud in lacunarum computatione neglegendum est, quod ubicumque lemma solito longius est, interpretamentum non a tertia, sed a quarta linea perpendiculari incipere solet; quare noli putare in gl. 405, 3 ante *circumuentio* quidquam intercidisse. Cf. 396, 22 e. q. s. Alia res est in gl. 404, 34 (cf. tabula II). Rarissime inter tertiam et quartam lineam interpretamenta incipiunt, ut similes dubitationes oriri possint atque p. 407, 1 et 4. Ex condicione autem lacunarum, inprimis eius quae a glossa 406, 38 incipit, Eduardus M. Thompson (Pal. Soc. 1885 Series II pl. 25; Classical Review I a. 1887 p. 40) sagacissime collegit archetypum fuisse exemplar papyraceum: quae coniectura optime confirmatur natura fragmentorum Helmstadiensium et Coloniensis (cf. p. XXXIX sqq.) eundem fere in modum ob fragilitatem fibrarum papyri deformatorum. Atque seriem lacunarum si perlustraveris, nonnullas animadvertes ita inter se cohaerere, ut damnum eadem causa inlatum esse concludas: respondent

enim lacunae 396, 20—25 lacunis 396, 48—397, 8; item lacunae 397 30 sq. lacunis 398, 8 sq.; denique glossae novem 406, 5—13 interpretamentis laborantes cum novem lemmatibus mutilis 406, 38—407, 3 tam mire conveniunt, ut nulla exsistat dubitatio, quin illae in priore, hae in posteriore pagina unius folii scriptae fuerint. Archetypus igitur codex fuit papyraceus ὀπισθόγραφος, qualis praeter codicem Parisin. lat. 8913 (Auitus), Parisin. lat. 11641 (Augustinus), alios codex ille maximus fuit, ad quem fragmentum Coloniense (cf. pag. XLI) olim pertinuit. Ex eisdem lacunis 406, 5 sq. et 406, 38 sq. inter se comparatis simul sequitur, totidem fere glossas quot codex Harleianus duabus paginis continet archetypum uno folio hoc quidem loco complexum esse. Quodsi omnia folia archetypi eadem fere forma fuerunt, lacunam quam inter glossas Αλιξ et Ανδραχνη (225, 7 et 8) intercedere Loewius (Prodr. 216) intellexit, eo ortam esse conicias, quod binio vel duo folia duplicia (h. e. quattuor folia interiora secundi quaternionis archetypi) infelici quodam casu in archetypo interciderint.

Vetustate proximus codex est Laudunensis 444, foliorum 31 membranaceorum (292 × 230 mm.), saeculo IX exeunte in Gallia scriptus. Continet praeter alia multa, de quibus omnibus accurate egit Millerus (Notices et Extraits XXIX, 2 a. 1880 p. 1—230):

1) glossarium graecolatinum in fol. 5^r—255^u sic inscriptum: *Incipit glosssarium grecum per ordinem alphabeti*;
2) idiomata generum in fol. 255^u—275^u;
3) tractatum de declinationibus in fol. 300^r—302^u (qui tractatus similia continet eorum quae Petschenigius ex codice monasterii S. Pauli Carinthiaci edidit: cf. p. XXXVII);
4) glossarium graecolatinum, quod p. 553—559 sqq. exhibuimus, in fol. 306^r—309^r.

Fol. 1^u hanc habet inscriptionem saeculi X, (non XI vel XII): *Istum librum dederunt Bernardus et Adelelmus Deo et S. Mariae Laudunensis ecclesiae: si quis abstulerit, offensionem Dei et S. Mariae incurrat.* Saeculo XVII fuit in bibliotheca Sancti Germani Parisiensis; unde factum est, ut a Du Cangio, Labbaei glossarii editore, a. 1679 adhiberetur. Quando Laudunum reportatus sit nescitur: sed ante a. 1708 hoc evenisse testatur Montefalconius, qui Palaeogr. gr. p. 247 codicem inter Laudunenses enumerat[1]).

---

1) Eundem esse cum codice in catalogo Corbeiensi vetustissimo sub no. 250 'Glossarium grecum et latinum' commemorato, Leopoldi Delisle est coniectura (Cabinet des manuscrits II p. 110): quam tamen refutavit Thompsonus l. s. s.

Scriptus est codex non ab uno librario; et in glossario quidem primo tres discernuntur manus, quarum prima glossas a fol. 5r usque ad fol. 171r Οποτερωθι *utrubi* dedit, secunda glossas usque ad fol. 188r Πηγημαιον *fontanum*; sequitur iterum prima manus ad fol. 213r Cκοτειζω *obscuro*; sequentes glossas tertia manus scripsit et a glossa Υαλουργιον *uitrarium* fol. 237r prima rursus manus cernitur, quae glossas ad finem perduxit et idiomata scripsit ad fol. 256u *Gallicantus* αλεκτρυοφωνια; pergit iterum tertia manus ad finem idiomaton fol. 275u *Munus* φιλοτιμια, quam glossam secuntur in hoc codice ab eadem manu scriptae: *Iuncturae claui* υποζοματα *Vana* φρουδα. Scriptura primae manus, cuius imago[1]) exhibetur in tabula III, elegantior est quam ceterarum, quae tironum potius videntur fuisse: quam ad coniecturam bene quadrat, quod secundus et tertius librarius maiore fide glossas interpretamentaque vitiosa servant quam primus librarius, qui multa omisit atque correxit. — Ante glossas haud paucas duplex punctum .. a librariis scriptum est, quod eodem videtur spectare quo signum ъ codicis Harleiani 5792 et triplex punctum .·. codicis Parisini 7651. — Glossariolum quod exstat fol. 306—309 scriptum est, sicut reliqua quae in fol. 276r—317u leguntur, a Martino qui aliquot glossas in margine ipse postea addidit. — Quae praeterea de hoc codice dici possunt, commode petentur et ex Milleri commentatione et ex verbis Henrici Omont, quibus tabulas duas illustravit (Album Paléographique, Paris 1887, tab. 23).

Quaerentibus nobis quae ratio inter Harleianum et Laudunensem codicem intercedat ante omnia illud reputandum erit, retractationis vestigia in illo fere nulla esse, in hoc innumerabilia. Quae vestigia diversi generis sunt. Primum genus glossarum decurtatarum est abiectis testimoniis scriptorum et adnotationibus grammaticis, ut 259, 27; 270, 36; 285, 33; 289, 33; 290, 21; 294, 35; 306, 52; 311, 50; 316, 23; 52; 317, 12; 320, 54; 323, 44; 337, 19; 340, 7; 343, 1; 345, 37; 349, 40; 352, 55; 353, 19; 31; 46; 354, 48; 359, 39; 367, 57; alibi. — Secundum genus earum est glossarum, in quibus quae interpretamenta bis leguntur in Harleiano sive quorum similia praecedunt vel subsequuntur deleta sunt, ut 219, 2 (*non potens*); 24 (*taedeeco*); 222, 3 (*inoportunus*); 223, 36 (*intempesta* post *nox*); 225, 55 (*indelctus*); 227, 1 (*inpubis*); 228, 17 (*resero*); 64 (*restipulo*);

1) Cum nostra tabula qui contulerit tabulam Montefalconii Palaeogr. gr. p. 248 editam videbit, haud paucis rebus etsi levioribus eum a nobis discrepare (cf. inscriptio et glossae Αβεχτερος, Αβιες, Αβεψια).

232, 50 (*tenerus*); 234, 5 (*mino minito*); 21 (*abago*); 237, 12 (*apocalypsis* in ipso lemmate est); 240, 5 (*aquale*); 241, 14 (*resigno*); 245, 52 (*hic geniculus*); 247, 30 (*infirmus*); 248, 46 (*fulgor*); 252, 33 (*arripio*); 262, 14 (*genealis*); 270, 8 (*tramitto*); 13 (*adseuero*); 271, 21 (*diuido*); 274, 17 (*delano*); 280, 21 (*satellex*); 282, 2 (*hebetus*); 292, 26 (*dinasto*); 302, 59 (*lata*); 328, 15 (*conspicio*); 334, 25 (*situlus*); 339, 3 (*liberale*); 351, 40 (*hic uenter*); 357, 50 (*remigis*); 358, 41 (*calcia*); 362, 33 (*reliqua*); 364, 51 (*diuinor*); 53 (*uates*); 365, 27 (*uanor*); 378, 50 (*nummum*); 380, 32 (*occonomus* in lemmate ipso est); 392, 24 (*puerus*); 396, 43 (*prestoleo*); 400, 45 (*pelagus*); 48 (*fomis*); 401, 8 (*pauperia*), alibi. Quibus in exemplis saepius simul propterea voces deletae esse videntur, quod a solita forma abhorrentes suspicionem moverant. — Similis est condicio tertii generis glossarum, earum, in quibus formae sive vulgares sive falsae sive suspectae sive denique non intellectae removentur, ut 227, 51 (*uirdico*); 246, 37 (*praesidatus*); 250, 4 (*aridurus*); 258, 30 (*folies*); 267, 19 (*trucus*); 286, 33 (*pacauo*); 288, 22 (*solens*); 289, 50 (*illim*); 295, 39 (*hec paludo*); 325, 55 (*quieuo*); 327, 50 (*messo*); 336, 62 (*elluatus*); 341, 54 (*delinquatio*); 345, 1 (*sperniuilis*), alibi. Eidem corrigendi studio debentur glossae frequentissimae, in quibus genus verborum insolentius ad usitatae rationis normam revocatum est, ut 229, 1; 231, 1; 232, 1; 233, 11; 237, 28; 238, 55; 239, 9; 249, 49; 251, 2; 258, 28; 269, 25; aliae permultae. — Quarto genere conprehenduntur eae glossae, quas Laudunensis emendatiores exhibet, ut 215, 2; 216, 27; 42; 56; 217, 13; 42; 218, 4; 63; 220, 48; 222, 50; 223, 2; 36; 225, 30; 226, 28; 229, 14; 34; 232, 3; 17; 46; 234, 12; 35; 238, 4; 239, 10; 42; 240, 24; 34; 241, 23; 244, 12; 246, 39; 249, 34; 251, 35; 260, 14; 273, 9; 306, 47; 310, 28, aliae multae. Quo in genere adnotandum est, emendationem plerumque simplicissimam fuisse. — Quintum genus glossarum est infelicissimo conamine temptatarum, ut 215, 17 (*sollicitudo*); 217, 29 (*rure sunt* pro *rurester*); 225, 53 (*inuestitus*); 235, 20 (*incomprehensibilis*); 242, 43 (*renuo* pro *relino*); 244, 28 (*maior grandaeuus*); 271, 12 (*distribuo*); 293, 47 (*expressio*); 296, 53 (*opus*); 328, 42 (*atingam*); 330, 18 (*lorifer*); 347, 57 (*figularius*); 370, 50 (*nihil scit*); 394, 22 (*aduentitius*), aliae.

Tanta igitur mutationum plerumque evidentissimarum est multitudo, ut vix quemquam fore putemus, qui temere se Laudunensi credat Harleiani optimi auctoritate contempta, praesertim cum ne neglegentiae quidem exempla deficiant. Integras enim glossas Laudunensis omittit velut has: 245, 15; 253, 7; 255, 21—23;

257, 27; 28; 262, 34; 264, 37; 266, 2; 267, 37; 38; 291, 36; 298, 39; 51; 302, 36; 315, 48; 318, 30; 326, 47; 48; 329, 36; 330, 34—36; 343, 10; 346, 47; 371, 5, alias. Addendae sunt glossae contaminatae, velut 218, 7—9 (Αγωνιcτηc *munerarius*); 250, 27—28 (Ατρητοc *infossus*); 262, 43 (Γενοc δερπανου δεναροτομου *spadix*); 295, 52—54 (Εμβιβαcμοc *interkalaris*); 366, 36—37 (Μειζον *maior*); 399, 24—25 (Παρρηcιαcτικοc *licenter*); 401, 49—50 (Πεπολιορκημενοc *canus*), aliae. Duabus, nisi fallimur, glossis Laudunensis abundat: post 238, 51 (Απολυτωc *absolute*) et post 390, 6 (Ουραγια *cauda*). Reliquae discrepantiae modo ad enuntiationem, modo ad similitudinem litterarum, modo ad errorem sive calami sive oculorum revocari possunt. Quae cum ita sint, Laudunensis codicis scripturas praeter notabiliores quasdam abiciendas censuimus.

Nunc vero quasi fundamento disputationis iacto de fonte quaeramus, ex quo codex Laudunensis haustus sit; qua de quaestione lubrica — coniuncta cum alia de qua infra agetur — haec est Thompsoni (Catalogue of ancient mss. I p. 12) disputatio: 'the exact relationship between the three MSS. ⟨scil. Laud., Harl., Stephanianum⟩ is less easy to determine, more especially in the absence of any means ascertaining how closely Estienne kept, in editing, to the actual text of his MS. It is evident, however, that L was not copied from H, and equally so that Estienne's MS. was not copied either from H or L, and the probability is that all three were independent as between themselves, though they must have been derived, directly or through intermediate copies, from one and the same ancient and mutilated archetype.' Atque rectissime quidem vir doctissimus negavit ex ipso Harleiano esse transcriptum Laudunensem; nam fluxisse videtur ex codice minuscula quam dicunt litteratura scripto; cuius rei documenta cum alia tum haec sunt: 1) in illo codice *cl* et *d* facile commutari potuerunt, cf. 295, 8 (*boduca* pro *bocluca*); 348, 23 (*durina* pro *clurina*); 404, 2 (*degam* pro *clegam*); 2) p. 396, 15 pro *adsigo* exstat *affigo* = *adfigo;* 3) p. 459, 26 *remicogium* est pro *semicogium;* 4) p. 473, 43 *iniquus* legitur pro *miquus*. Quod tamen idem putat, Harleianum et Laudunensem ex communi archetypo esse derivandos, id minus probare possumus. Nam si dempseris discrepantias quas ad corrigendi studium pertinere intelleximus, omnino non ita multae relinquuntur: quas nullo negotio etiam is explicabit, qui codicem, ex quo propagatus est Laudunensis, ex Harleiano ipso transcriptum censet, quippe qui videatur olim in Gallia fuisse (cf. p. XXI). Atque mirum in modum hanc sententiam commendant singulae aliquot scripturae, velut quod saepissime, ubi ï

in Harleiano est, eadem littera omissa est in Laudunensi, ut libra rium punctis deceptum litteras consulto abiecisse conicias (p. 246, 1(Αρτοποιον; 26 Αρχαζω; 350, 10 Κλαδοδης; 406, 19 Περκαοχους; 42: 54 Προcωποποα; 446, 39—41 Cυνδωc, Cυνεναι, Cυνημι; alibi); quali improbabilius ad communem Laudunensis et Harleiani fontem refe rantur. Etiam magis huc quadrant scripturae hae: Βαβαλιηcτιρι (Βαβαλήcτηρια Harl.) p. 255, 10; Οικιηα (Οικήα Harl.) p. 380, 14 451, 14 πρατγ (Harl. πραγμ = πραγματα, cf. p. XXII). Sed utut hae res est, quin ab apparatu recte exclusus sit Laudunensis, dubitati nulla esse potest.

Reliqui codices quotquot novimus, ab Harleiano antiquissimo pendentes non intercedente Laudunensi, et recentioris aetatis sun et inutiles. Sunt autem hi:

1) cod. Vallicellianus B 31, chartaceus formae maximae, 24 foliorum, saec. XV. Continet praeter alia multa glossas graecolatina in fol. 144ʳa—242ʳb. Quae ex hoc codice excerpta nobis ad manus fuerunt, ea Loewio et Augusto Mau debemus.

2) bibliothecae aedilium Flor. eccles. cod. CCXIX, chartaceus, formae quartanae maioris, 265 foliorum, saec. XV. In fine haec leguntur: 'Georgij Antonij Vespucij liber. olim Rdi D. Barthei Lapaccini epi coronen ordinis praedicatorum'. Excerpta nobis praesto fuerunt Loewii.

3) cod. Laurent., nunc signatus 'acquisti 92', olim 'Francisci Castilionensis presbyteri', chartaceus, formae maximae, 158 foliorum saec. XV/XVI. Is codex adeo similis est eius qui praecedit, ut aut ex eo ipso aut eodem exemplari transcriptus Loewio videretur.

4) cod. Laurent. 57, 16, chartaceus, formae quartanae, 328 foliorum, saec. XV/XVI, quem Loewius commemoravit Prodr. p. 214. Idem Loewius ampliora excerpta nobis reliquit.

5) cod. Escurial. Σ. I. 12 (cf. Millerus, Catalogue des manuscrits de l'Escurial p. 58—67), saec. XV teste Loewio, qui a fol. 91ʳ—293ʳ glossas graecolatinas continet. Excerpta uberiora reliquit Loewius.

6) cod. Parisinus lat. 2320 A (Regius 5043), olim Puteaneus. Glossas graecolatinas et idiomata generum continet in foliis 52—166 chartaceis scripta manu saeculi XV/XVI. In folii 52ʳ margine superiore manus saec. XVII hoc notavit: 'Casp. Scioppius Patricius Romanus et Consiliarius Austriacus beneuolentiae causa Roma dono misit.' Excerpta uberrima nobis praesto fuere.

7) cod. Parisinus gr. 2627 (Telleriano-Remensis 52, Regius 2752. 2: in involucro legitur Cod. LXXXVIII) membr. foliorum 111

maximae formae, saeculi XV/XVI. Glossas graecolatinas continent fol. 1—102. Ex hoc quoque libro excerpta uberrima nobis praesto fuere.

8) cod. Parisinus gr. 2628 (Regius LXXXV et 2181) membranaceus, foliorum 395, saec. XV exeuntis, scriptus a Georgio Hermonymo Spartano, de quo conferatur Henrici Omont docta disputatio (Mémoires de la Soc. de l'Hist. de Paris XII a. 1885 p. 74 sq.). Ex hoc quoque codice quae digna visa sunt excerpsimus. Ceterum monemus, hunc esse codicem Regium, e quo Du Cangius in Labbaei glossario p. 207—246 non modo discrepantias scripturae sat multas, sed etiam novas glossas protraxit a Labbaeo non editas. Velut quae inter Αγελαιος et Αγελαρχης exstant glossae: ἀγελεία *predatrix palladis q ducit predam* — ἄγημα *agmen*, omnes inveniuntur in additamentis.

9) cod. Cantabrigiensis bibliothecae universitatis 979. Kk. V. 12 saeculi XVI chart. formae maximae. In interiore parte tegumenti manus saec. XVIII scripsit: 'Glossarium philoxeni. I. B. Hautin.' et in sequente pagina vacua: 'glossarium grec-latin. philoxeni'; in fol. 1r 'Ex bibliotheca Claudii Sarranii 1647.' Latina interpretamenta a glossa εὐεπιληπτος omnino desunt. Secuntur idiomata generum, denique glossarioli fragmentum ab Αλλοτριωσις ad Ανδριαντοποιος pertinens. Mirum est quod haec lemmata praeter extrema omnia in lacunam quae post Αλιξ est optime quadrant, praesertim cum pars eorum inter eas glossas redeat, quibus codex Parisinus 2628 lacunam explet. Excerptis etiam huius codicis usi sumus.

10) cod. Neapolitanus II D 34, in quo latina graecis praeposita esse ex excerptis ab Holmio benevolenter missis intelleximus.

De his igitur libris — mittemus nunc tertium, nonum, decimum, de quibus quod adiciamus non habemus — haec monemus:

1) Lacunam quae est post Αλιξ servant 2 et 7, expleverunt suo quisque modo reliqui. Supplementa codicum 6 et 8 tam sunt inter se similia — quamquam auctior est 6 —, quam reliquorum ab his et inter se discrepant: in quibus si quae conspirant, id casui tribuendum videtur. Paucissima suppleta sunt in 1. Sed quaecumque exstant supplementa in his noviciis libris, aut vulgaria sunt aut lemmata ex graecis lexicis derivata et latina versione aucta: itaque inutilia omnia.

2) Ceterum paullo propius ab Harleiano absunt codices 1 et 7, quamquam hic sat multa abiecit; maxime differunt ab eo 4 et 8 permultis inquinati interpolationibus et ordine non semel mutato; medium quendum locum obtinent 2, 5, 6, quamvis ne ipsi quidem interpolationum aut mutationum immunes.

3) In omnibus autem loci scriptorum sive contracti sive — id

quod multo saepius factum est — prorsus abiecti sunt. Glossae similes et vicinae et non vicinae saepissime contaminatae, interpretamenta coartata, rarius aucta.

4) Ad emendandas glossas graeco-latinas horum codicum nullus usus est; nam ut omittamus quae corrrupta ibi habentur, ne ea quidem, quae recte ibi exstant, digna sunt quae enotentur, quippe quae maximam partem vilia sint ac trivialia.

5) Nihil impedit quominus statuamus, ex eodem exemplari fluxisse omnes, sed dispari modo propagatos, illud autem exemplar ad ipsum Harleianum quomodocumque revocandum.[1])

Ad idem codicum genus is liber[2]) referendus est, ex quo pendet editio Stephani a. MDLXXIII hac inscriptione emissa: 'LEXICON GRAECOLATINVM VETVS, in calce quorundam Cyrilli scriptorum inuentum.' Falsissime enim Millerum post Rudorffium de Laudunensi quasi fonte Stephani cogitavisse ex Loewii verbis Prodr. p. 213 disci potuit. Cf. etiam Thompsoni verba supra exscripta, quamquam is hac in re erravit, quod Stephani exemplar et Harleianum ad idem commune archetypum redire censuit.

Ex Stephani editione pendent Vulcanius et Labbaeus. Labbaei glossario lectiones selectas codicis Germanensis (h. e. Laudunensis) et Regii (h. e. cod. Paris. gr. 2628; cf. p. XXXI) adiecisse Du Cangium iam diximus. Quid reliqui viri docti contribuerint ad has glossas emendandas vel explicandas, ex glossario alphabetico, quo omnia glossaria complectemur, olim patebit.

Magnis his lexicis minora quaedam glossaria utriusque linguae ex parte inedita subiecimus. Ac primo quidem loco exhibuimus idiomata codicis Harleiani 5792, quae ex codice Laudunensi 444[3]) edita sunt in corpore Labbaei p. 199—205. De codicibus

1) Hoc ita se habere cum multae res indicio sunt tum haec sane notabilis: post 254, 23 manus saec. X in Harleiano adscripsit ΑΧΙΔΝΑ. *Vipera:* eandem glossam in serie glossarum exhibent Paris. gr. 2628 et Paris. lat. 2320 A. Quod haec vox in Paris. gr. 2627 omissa est (sicuti apud Stephanum), corrigendi studio debetur.

2) Stephani codicem ad Harleianum revocandum esse praeter alias etiam hae glossae docent: p. 433, 19, ubi Harl. habet *uas'uasum,* Stephanus exhibet *uasus, uasum;* 427, 43, ubi Harl. habet *uagator* litteris *ato* paene detritis, Steph. *uag* dedit; p. 460, 24, ubi Harl. τροχάζω praebet, apud Stephanum est τροχιάζω.

3) Hoc ita esse testatur praefatio typographi p. 3: 'Glossario vero ordine literarum exacto subiunguntur voces Latinae, quae alio, quam eae, genere Graece explicantur. Has ex eo Codice describere visum est, tum quod sint eiusdem manus ac characteris, et quaedam ex iis occurrant, de quibus silent Glossae; tum quod etsi complures ibi habeantur, aliis persaepe Graecis red-

breves esse possumus: idem fere dicendum, quod de glossarum graecolatinarum libris exposuimus. Vnicus igitur testis ex quo propagati sunt reliqui omnes codex Harleianus 5792 est, ad quem Laudunensis 444[1]) vel multo propius accedit quam in magno glossario factum est: nimirum transcriptae sunt glossae sine recensionis vestigiis, quae illic passim deprehendi possunt. Reliquos libros novimus hosce: 1) cod. Parisinum gr. 2627 (graeca vocabula ante latina sunt collocata: ceterum cf. p. XXXI); 2) cod. Parisinum lat. 2320. A (cf. p. XXX)[2]); 3) cod. Vallicellianum B 31 (cf. p. XXX); 4) cod. Cantabrigiensem (cf. p. XXXI); 5) cod. Escurial. (cf. p. XXX). In codice Parisino gr. 2628 idiomata non leguntur: de Florentinis codicibus idem valere ex Loewii hac de re silentio conicimus.

Artissimo haec idiomata cum glossis graecolatinis vinculo esse conexa ut facile perspici potest ita olim intellectum est. Longe plurima vocabula, quae hoc loco posita sunt, etiam inter illas glossas exstant: quae non exstant, tantum non omnia in lacuna quae est post Αλιξ haud dubie olim exstiterunt: paucissimorum nullum ibi vestigium est. Haec summa congruentia ita tantum explicari potest, ut idiomata aut in glossas graecolatinas inserta aut ex eis collecta esse dicamus: quarum explicationum hanc probabiliorem esse quam illam inde efficitur, quod satis multa idiomata sive mira sive inepta nisi ex glossis graecolatinis derivantur quomodo nasci potuerint omnino non apparet. Exempla aliquot subiciantur: *res humana* βιοc (p. 493, 58) = βιοcκοινοcτωνανθρωπων · *haec reshumana* (p. 257, 44): *sine invidia* αφθονοc (p. 494, 5) = αφθονοcομηφθονων: *nulliinuidenssineinuidia* (p. 253, 12); *ubera* μαcτοc (p. 494, 28) = μαcθοcαλογουζωου *haec ubera* (p. 365, 8); *uasa* cκευοc (p. 498, 16) = cκευοc *uas'uasum haec uasa* (p. 433, 19); *rite* εθιcμοc (p. 502, 4) = εθιμωc *rite ritu* (p. 284, 56); *ingenitus* εμφυτον (p. 491, 35) = εμφυτον *insitum ingenitum* | εμφυτοc *insitusingenitus innata* (p. 297, 5; 6); *longa nauigatio* μακροcπλουc (p. 495, 10) = p. 364, 20; *morbus sonticus* ιεραvοcοc (p. 489, 4) = p. 331, 9, alia multa id genus. Excerptae igitur sunt hae glossae ex codice glossarii graecolatini antiquissimo lacunae illius quae post Αλιξ est immuni. Neque minores illae lacunae litterae Π ibi videntur exstitisse, siquidem p. 498, 36 *colomnatio* περιcτυ-

---

dantur vocabulis; et quod denique in plerisque locis vel emendandis vel a mendi suspicione liberandis non minime conducant.'

1) Apographum idiomatum codicis Laudunensis est in cod. Parisino Supplem. gr. 836 fol. 132r—144u, confectum manu Emerici Bigotii. Inscriptio haec est: *Glossarium latino-graecum. ex cod. mto Sti Germani a Pratis in fine Glossarii.*

2) Huius lectiones aliquot adnotatae sunt in editione principe: nam quae ibi dicuntur 'alibi' scripta esse (cf. 492, 23), ex hoc codice petita sunt.

λον ad 405, 14 spectat. Quamquam hoc propter paucitatem exemplorum in incerto relinquendum est.

Haec idiomata quomodo discentium usui inservierint optime docet codex Harleianus 2688 saeculi IX/X. Continet hic codex fol. 19^r—22^r graecam grammaticam ita, ut praecepta et paradigmata declinationis praecedant et suo quaeque loco idiomata graeco lemmate praeposito inserta sint praemissis verbis ἰδιόμοια. Qui haec composuit, ex libro Harleiani vetustissimi simili hausit, sed multa abiecit.

Servii grammatici glossarum quae dicuntur codex vetustissimus est Harleianus 2773[1]) foliorum 63 membranaceorum (192 × 280 mm.) saec. XII, non decimi, ut in catalogo dicitur. In fol. 1 superiore margine manus saec. XV exeuntis hoc scripsit: 'Iste ē liber hospital' scī Nicolay ꝓpe cusā': a Roberto Harley emptus est 2 die mensis Octobris, A. D. 1725. Continet praeter Diomedem (fol. 5^r—31^u) et Ciceronis epistulas (fol. 32^r—60^r) versusque varii latinos (fol. 60^u—63^u) glossas Servii in fol. 1^r—4^u (hunc binionem signavit manus saec. XV exeuntis vel XVI ineuntis *a* littera: secuntur quaterniones et unus ternio *b c d* e. q. s. litteris notati; primi folii pagina recta et quarti pagina versa detrita est, ut non semper cum reliquis hae glossae cohaesisse videantur. Singulae paginae sunt tripertitae. Quae codicem correxit manus eiusdem temporis est, sed atramento diverso usa: pleraeque correctiones conveniunt cum cod. Puteaneo. Subscriptio codicis haec est: HVCVSQ POST MVN ‖ ·XII· MILIA· EXPLICIT ‖ FELICITER SERVII GRAMMATICI.[2]) Huius libri scripturam integram infra exhibuimus.

Apographum Harleiani est codex Perizonianus quartanae formae 72 (apud Geelium 494) chartaceus 20 foliorum (210 × 163 mm.) scriptus ab I. F. Gronovio, qui hoc in fine adnotavit: 'Superiora ex Membranis formae maximae . idque principium erat. Inde sequebatur Diomedes Grammaticus. Initium: Incipit prologos Diomedis' e. q. s. Locos quosdam nunc in Harleiano 2773 detritos utrum coniectura suppleverit Gronovius an melius legere potuerit incertum: in ceteris non semper quae scripta invenit accurate transcripsit. In margine idem, ut videtur, postea emendationes quasdam addidit, quas apparatui inseruimus.

1) Cf. Loewii Prodr. p. 202, Keilii praef. vol. I Gramm. lat. p. XXXII, Oehlerus Mus. Rhen. vol. XVIII (a. 1863) p. 260.

2) Quid mira haec codicum subscriptio sibi vellet, multi quaesiverunt. An est '*Hucusque plus minus* e. q. s.? Quamquam ne hac quidem coniectura omnia plana fiunt.

Alter harum glossarum codex est **Puteaneus**, nunc quidem deperditus, cuius apographum exstat a Carolo Labbaeo confectum[1]: codex Scaligeri Leidensis 63 tredecim foliorum (143 × 192 mm.) chartaceorum (fol. 2ʳ — 13ᵘ numeri paginarum 1 — 24 adscripti sunt) quadripertitis paginis; folio 1ʳ hoc inscriptum est: 'Glossae ueteres (*haec vox lineola deleta est eodem atramento*) Seruii Grammatici.' Glossis quas ex cod. Harleiano novimus praefixum est aliud glossariolum, quod p. 533—536 edidimus. Glossae Servii ab *Hornatus* ad *Culpa* (p. 511, 40—518, 14) suo loco motae inter *Terebra* et *Tribula* (524, 50—51) exstant uno folio ut videtur in alium locum errore translato. Corruptis glossis alio atramento obelus praefixus est, haud dubie a Scaligero qui etiam aliquot emendationes adscripsit (p. 519, 25; 535, 8). Subscriptio haec est: 'Huc usque p' anin XII milia Explic̄ Feliciter. Seruii Grammatici. Ex ms. bibliothecae V͞C. Cl. Puteani. anno 1600. Iulii die 23. Carolus Labbaeus.'

Huius quoque codicis apographum servat bibliotheca Leidensis: codicem Ruhnkenii 5 (apud Geelium 495) 11 foliorum chartaceorum (157 × 210 mm.) saeculi XVII. Quis codicem scripserit, incertum est; sed eum ex cod. Scalig. 63 derivatum esse certissimum. Itaque non est cur respiciatur.

Glossae Servii Harleianae et Puteaneae adeo inter se conspirant, ut facile suspiceris Puteaneum ex Harleiano fluxisse; verum tamen si accuratius in hanc rem inquisiveris, mox de fiducia in dubitationem maximam relaberis. Qua in quaestione minorem vim habent glossae illae in solo Puteaneo exstantes; maiorem scrupulum movet, quod pars glossarum Harleianis corruptior, pars emendatior in Puteaneo legitur. Emendationes autem si librarii coniecturae tribues, miraberis quod idem alia multa intacta reliquit. Quae cum ita sint cumque ne de aetate quidem Puteanei constet, tutius visum est discrepantias potiores apparatui inserere.

Praeter hos libros adhibuimus codicem Burmannorum Qº. 5. X. a. formae maximae, quattuor foliorum paginis tripertitis. Cuius codicis originem et rationem ut recte perspiciamus duae adhibendae erunt adnotationes, quarum altera in fine adiecta haec est: 'Hucusque p aenı'n' XII milia expliciunt feliciter Servii grammatici. Ex Ms. Bibliothecae V. C. Cl. PVTEANI Anno 1600 XXIV Iulii die. In Bat. e Galliis importarunt ornatissimi fratres Labbaei. Omnia erant Latinis

[1] Cf. Loewius Prodr. p. 201, Oehlerus l. s. s. p. 254, Rudorffius l. s. s. p. 193. — In catalogo librorum Puteaneorum a Iacobo Puteano a. 1645 confecto (cod. Parisin. lat. 10372. 10373) mentio codicis harum glossarum nulla fit.

literis scripta; qua Graeca qua Latina, ordini et uerbis suis resti Doctorum Phoenix IOS. SCAL. IVL. CAES. F.': altera in fol post glossam *Odor* οδμή exstans haec: 'etc sic porro; quae exs bere per temporis angustiam non licet: rariora tamen vocabula s nectam.' Quae verba ne ita interpretemur, ut Burmannum Scali exemplar partim transcripsisse partim excerpsisse dicamus, imp Antonius Matthaeus, qui in 'Veteris aevi analectis' (ed. alt. Ha Com. a. 1738) t. III p. 657 sqq. easdem glossas ex persimili exemp edidit. Is enim hanc habet subscriptionem: 'Huc usque XII. MILI Expliciunt feliciter SERVII GRAMMATICI. ‖ Ex MS. Biblioth V. C. CL. PVTEANI ‖ Ann. 1600. XXIV. Iulii die'. Atque p. haec inserit: 'Reliqua exscribere per temporis angustiam non lic rariora tamen vocabula subnectam.' Idem autem in praef. ad Nicola Witsen iurisconsultum data p. 659 sic dicit: 'Redeunt ad te Glos quas olim suppeditasti ex scriniis viri doctissimi PETRI SCRIVEI et p. 661 sic: '. . . Scriverius adscripsit hic: *In Bataviam*, inqui *Gallia importaverant Ornatissimi fratres Labbaei. Omnia erant Lat Literis scripta, qua Graeca qua Latina. Ordini restituit Docto Phoenix* IOS. SCAl. IUL. CAES. FIL.' Quae omnia qui reputav ei sic res enodanda videbitur: Scaligeri exemplari usus est S verius, Scriverii apographo usi sunt et Matthaeus et Burman Sed Burmannus cum multo diligentior fuerit atque accuratior qu Matthaeus, huius editio non amplius respicienda erit. Scalige autem Labbaei apographo usum esse et per se patet et collatione stituta confirmatur.

Quam sic iacturam fecimus extremae Scaligerani codicis pa eam aliunde restituere possumus. Mirum enim est quomodo glo Servii a Labbaeo editae — nam S litteram ad Servii glossas s tare rectissime contra Du Cangium monuit Oehlerus l. s. s. p. — cum apographo Burmanniano congruant; quam congruentiam respexeris quantopere ipse Scaliger Labbaeum adhortatus sit glossarium condendum quoque studio eum adiuverit, vix pr bilius explicare poteris quam ut Labbaeum tantum non ubique ip Scaligeri scripturam quomodocumque acceptam secutum esse stat Quapropter et apographi Burmanniani et Labbaei discrepantias poti apparatui addidimus.

Sed nondum absolvimus omnia. Antiquioris codicis vest detexit Franciscus Oehler l. s. s. p. 261 sic disserens: 'Von and Handschriften der Glossae Servii meldet nur noch ein altes Büc verzeichniss in einer kostbaren Handschrift des 9ten Jahrhundert der gräflich Schönborn'schen Bibliothek zu Pommersfelden (Nr. 28

bei Bamberg. Es ist von einer Hand des 10ten Jahrhunderts geschrieben und lautet: "Incipit adbreuiatio librorum Sancti .... (der Name ist ausradirt) quae tempore Ramuoldi abbatis facta est. Evangelia 16. eorum quatuor auro parata — — — — Glossa Greca ... Seruii 2" u. s. w. Ohne Zweifel gehört Ramuold nach St. Emmeran in Regensburg (975—1001); aber die heutigen Tags in der Münchener Hofbibliothek befindlichen Reste der alten Bibliothek von St. Emmeran bewahren von diesen 2 Exemplaren der Glosa Servii keins mehr.' — Aliud vestigium vel vetustius est in glossario, quod ex codice monasterii Sancti Pauli Carinthiaci edidit Petschenigius Stud. Vindob. vol. V p. 160 sqq., cuius glossae 13—78[1]) ex Servii glossis excerptae secundum priscum ordinem exhibentur. Cum codex octavi saeculi sit, glossas ex apographo Petschenigiano subiciamus: *meli mel; caria nux; nephos nubs; demos plebs; basilius rex; helios sol; agros rus; libanos tus; aner uir; phone uox; ŭrbs pŏlis; filargia aspectus; anabole amictus; periboleon; iris arcus; aneptosis casus; machera culter; camelos camelus; boe clamor; cęlibatus agamia; periodos circuitus; synodos conuentus; ode cantus; syllemses conceptus; exodos exitus; strasia exercitus; pige fons; mirmix formica; plege ictus; mesembria meridies; anatole oriens; dysis occidens; apantesis occursus; xenia perigrinatus; tetras quaternio; oreicsis rictus; anchoresis retentio; carosis soror; lampedo splendor; omelia sermo; arktos septentrio; katastassis status; synkletos senatus; kauma aestus; tauma fluctus; angistron hamus; noema intellectus; ethos mos; neuron neruus; panion pannus; struthin passer; kentron stimulus; graphion stilus; scaema sexus; echos sonus; peripatos ambulatio; nyktikorax bubo; katapeltes ballista; trietia triennium; epiorkia periurium; lophus crista; margarites margarita; prologos praefatio; pthirismos peduculatio; euachismos strena; spongos spongia.* Haec omnia scripta sunt litteris latinis, ut in ceteris Servii codicibus. Memorabile est, quod corruptelae aliquot graviores iam in hoc codice fuerunt; nec neglegendum, glossariolum illud codicis Puteanei hic non esse excerptum. Ceterum monemus, simile glossarium, sed omissis glossis Servianis, exstare in cod. Laudunensi 444 supra descripto: quo de glossario, si tanti est, alio loco tractabimus.

Glossis Servii grammatici subiecimus idiomata codicum Neapolitani Charisii et Parisini lat. 7530 saec. VIII, cognata inter se, sed non prorsus congruentia, quae ante nos contaminata edidit Henricus Keil Gramm. lat. vol. IV p. 563—584: ex qua editione pendet

1) Etiam glossae 1—2 (infra iteratae) Servianae sunt: *to reuma humor; echos, sonus.* Item glossae 3—4: *ptolemus bellum; ptosis stupor.*

nostra. De codicibus igitur conferre iubemus quae idem Gramm. lat. vol. I p. X et vol. IV p. LI exposuit. Codicem Parisinum ipse transcripserat Keilius, nos iterum inspeximus. Codicis Neapolitani usus est Keilius apographo a Georgio Thilone confecto. Apographum Parisini et apographi Thiloniani partem posteriorem Keilius nobis benevolenter transmisit. His igitur usi subsidiis ex Keilii editione nostram confecimus. Quod non integram codicis Neapolitani scripturam exhibuimus, eius rei causa ex his Keilii verbis repetenda (p. LI): 'utriusque codicis igitur scripturam in iis quae edita sunt integram exhibui, nisi quod in Graecis vocabulis eam discrepantiam, quae non ex diversitate aliqua sententiae vel errore librarii profecta est, sed ad rationem scribendi vel pronuntiandi pertinet, omisi. ex quo genere sunt haec, quod saepe ο pro ω scriptum est, ut θοραξ pro θῶραξ, ϵ pro αι vel η, ut αξιουμϵ τιθϵμι pro αξιοῦμαι τίθημι, ι pro ϵι, ut φιδομαι υπατια pro φειδομαι ὑπατϵία, vel contra ϵι pro ι, ut χρημαϲϵιν pro χρήμαϲιν, et pro υ, ut θοριβοϲ pro θόρυβοϲ, et quod ν pro μ vel γ positum est in talibus, ϵνφϵρηϲ pro ἐμφϵρήϲ, ϵλϵνχοϲ pro ἔλϵγχοϲ.' Quae cum ita sint, Neapolitanorum idiomatum recensionem, Parisinorum apographum hic dedimus.

Quod sequitur glossariolum graecolatinum codicis Laudunensis 444, ex eo excerpta quaedam eodem quo nos usus codice edidit Labbaeus vel potius Du Cangius p. 206 abtersis naevis minoribus. Adde quae Millerus l. s. s. p. 206—209 exposuit. Mirum est quod neuter videtur perspexisse, glossas a p. 554, 21 ad 555, 31 ex glossario latinograeco esse excerpta servato plerumque antiquo ordine: nec minus mirum, quod tanta inter has glossas et illas intercedit similitudo, ut primo obtutu facile credas, glossarii Laudunensis auctorem e codice Parisino 7651 hausisse. Nam pauca quaedam quae emendatius exhibentur (p. 4, 14 = p. 554, 42; p. 5, 13 = p. 554, 55; p. 11, 29 = p. 555, 23; p. 11, 30 = p. 555, 24) facile corrigi potuerunt; quae obstare videntur discrepantiae (velut p. 5, 47 = p. 555, 2), non ita graves sunt; miro modo convenit p. 7, 30 (= p. 555, 13), ubi Laudunensis integrum versum omittit. Verum tamen res incerta est propter 12, 41 (= p. 555, 27), ubi in exemplari, ex quo hausit is qui glossariolum Laudunense composuit, prior versus in ϵαυτωνϵ videtur exiisse. Ex reliquis glossis, quae multo viliores sunt, nonnullae iterum leguntur in glossario Petschenigiano. Ceterum monemus, adnotationes marginales et interlineares etsi pallidiore atramento scriptas eiusdem tamen manus esse, cui reliqua tribuenda sunt.

De glossariorum fragmentis Helmstadiensibus et Colo-

niensi[1]) quidquid bonae frugis proferemus, eius laudem praemonendum est redire ad Carolum Boysen, qui commentationem et diligentissime et sagacissime conscriptam nobis dono dederit: quam commentationem vernaculo sermone compositam quod non integram huic praefationi inserere, sed pro fundamento esse et editionis et praefationis voluimus, eius rei causa inde repetenda, quod rationi huius operis ante omnia serviendum esse existimavimus.

1. Christophorus Schrader, professor et bibliothecarius Helmstadiensis[2]) — ut ab historia horum fragmentorum ordiamur — in catalogo codicum Helmstadiensium, cuius est apographum in bibliotheca Gottingensi (cod. ms. hist. litt. 166. 4°), inter libros manu scriptos miscellaneos in fol. sub num. 45 hoc habet: 'alte Schrift auf zerbrochener Birkenrinde.' — 2. P. I. Bruns, ultimus bibliothecariorum Helmstadiensium, in catalogo emendatiore sub num. 1279[3]) hoc adnotavit: 'glossarium latino-graecum codex vel potius rotulus corticeus de quo egit P. I. Bruns in Annal. literar. Helmst. a. 1782.' 3. In eiusdem catalogi indice alphabetico Gottingae nunc asservato (cod. ms. hist. litt. 167 fol.) sub rubr. 'Philologia' exhibentur haec: 'glossarium latino-graecum No. 1279'. — His tribus testimoniis manu scriptis addenda sunt quae in libris impressis de his fragmentis inveniuntur: 1) in Tentzelii menstr. colloqu. decembr. 1692, ubi de rebus memorabilibus bibliothecae Helmstadiensis agitur, p. 992 sic est: 'und hierher gehöret auch das auff Rinden mit lauter litteris uncialibus geschriebene Fragmentum Glossarii Graeco-Latini.' — 2) Franciscus Carolus Conradi Parerg. (ed. Helmst. 1740) p. 201 haec narrat: 'et ipsi vidimus in particula onomastici Graeco-Latini, in bibliotheca Academiae nostrae adseruata, quae ut conuoluta est sine periculo totam confringendi vix reuoluitur.'[4]) — 3) Zacharias Conrad de Uffenbach (Merkwürdige Reisen Th. I Frankfurt und Leipzig 1753 p. 230), qui sub finem anni 1708 Helmstadiae versatus est, de bibliothecae thesauris cum alia tum hoc habet: 'Ich beklage, dass, weil es zu dunkel wurde, wir weder das auf Rinden geschriebene frag-

1) Partem veri perspexerat iam Gustavus Loewe; cf. Prodr. p. 217. 218: quae ibi minus recte exposuerat, postea ipse in margine sui exemplaris correxit et supplevit.

2) Mortuus est a. 1684.

3) Exstat catalogus in bibliotheca Guelferbytana, cuius in margine plumbo scripsit nescioquis: 'Deest'.

4) Inde haec fragmenta innotuerunt Marinio (i papiri diplomatici p. XIX) itemque Caesari Paoli (del papiro specialmente considerato come materia che ha servito alla scrittura. Firenze, 1878 p. 61 sq.), qui quicquid de his fragmentis comperire potuit, diligenter composuit.

mentum Glossarii Graeco-Latini ... nicht sehen können, noch' e. q. s. 4) Brunsius cum in Annal. literar. Helmstadiensibus 1782 vol. I p. 193 sqq. tum in actis quae inscribuntur 'Leipziger allg. liter. Anzeiger' (a. 1799 no. 105, 8. July) de his fragmentis agit. Priore loco — cf. Hauptius Mus. Rhen. vol. II (a. 1843) p. 639 — loquitur de quattuor tabulis nunc convolutis formae octonae pergitque sic: 'praeter has quattuor tabulas sunt alia minora frustula eiusdem codicis'; posteriore volumen corticeum (Rolle von Baumrinde) commemorat. — Horum autem fragmentorum quin pars saltem etiamnunc exstet dubitari nullo modo potest.

Exstant enim Gottingae inter thesauros apparatus diplomatici duo folia papyracea, quibuscum quae olim cohaerebant duo alia folia post doctam disputationem Tychseni commentationibus Societ. reg. scient. Gott. class. histor. et philol. t. IV (1820) insertam (p. 141 sqq.) videntur deperiisse. Sed ex tabulis quibus Tychsenus antiquam scripturam imitatus erat facile intellegitur, fragmenta Tychseniana cum eis quae etiamnunc exstant ita fuisse coniuncta, ut haec ad superiorem duplicis folii partem pertinerent, illa ad inferiorem, nisi quod inter utramque partem aliquid papyri intercidisse probabile est. Haec autem quattuor fragmenta quin ex Helmstadiensi bibliotheca a. 1810 Gottingam pervenerint et quattuor illae Brunsii tabulae sint eo minus dubitabimus, quod fragmentis Gottingensibus etiamnunc adscriptum esse scimus hoc: 'Helmst. 1279' (cf. p. XXXIX). — Duplex igitur folium fuit et quaternionis olim intimum: fol. I^r continuit lemmata p. 559, 21—44 fragmenti Gottingensis (Appar. diplom. 8 D^r) et — ut mittamus quae interciderunt — tabulae Tychsenianae II (partis dextrae) lemmata 45—p. 560, 6; quae exstabant interpretamenta praeter unum (p. 559, 23) perierunt omnia. Fol. I^u, uti consentaneum est, interpretamentorum tantum frustula servavit, quae in fragmento Gottingensi (Appar. diplom. 8 D^u) et in Tychseni tabulae I parte laeva habentur. Fol. II^r continuit lemmata fragmenti Gottingensis (Appar. dipl. 8 C^r) et tabulae Tychsenianae I partis dextrae; fol. II^u interpretamentorum frustula (Appar. diplom. 8 C^u et tab. Tychs. II partem laevam); reliqua interciderunt. Tamen et lemmata et interpretamenta pleraque adscitis reliquis glossariis bilinguibus, quibuscum haec fragmenta artissime cohaerent, et observato ordine litterarum partim certissime, partim magis minusve probabiliter restitui possunt. Sic igitur se exceperunt lemmata: 1. 2. Adiectiva exeuntia in *is* (*Rabilis* — *Vocalis*); 3. adiectiva exeuntia in *is* (quorum prima littera V fuit); inscriptio substantivorum in *as* exeuntium; enumeratio horum substantivorum (ab *A* incipientium); 4. continuatur enumeratio (ab A — C incipientium); item 5. 6. (*Celebritas* — *Firmitas*); item 7. (ab

F, G, H incipientium); item denique 8. (ab I, H, L incipientium). Haec dixisse sufficient pro huius voluminis ratione: quomodo lacunae resarciendae sint, ex glossario generali olim perspicuum fiet. — Scripturae genus bene cognoscitur ex tabulis Tychsenianis: litterae sunt unciales atque tam similes earum, quas e Digestorum inprimis codice Florentino novimus [1]), ut fieri vix possit, quin eidem fere tempori fragmenta tribuamus.

Pergamus nunc ad fragmentum Coloniense. In archio municipali Coloniensi adservatur folium papyraceum, quod olim Walraffianae bibliothecae fuerat. Vnde Walraffius comparaverit ignoratur, quippe qui nil reliquerit nisi hanc capsulae qua adservabatur inscriptionem: 'folium in cortice manuscriptum vocabularii Graeci ex antiquissimis temporibus.' Primus hoc fragmentum tractavit Theodorus Bernd in commentatione 'Merkwürdiges altes Bruchstück eines griechisch-lateinischen Glossarii in Köln' Welckeri et Naekii Musei Rhen. t. V (a. 1837 p. 301—329) inserta: denuo examinavit Gottingam transmissum Carolus Boysen. Saepius Berndio paullo plura apparuerunt quam Boyseno: quod in apparatu indicavimus.

Mirum est quod inter hoc fragmentum et fragmenta Gottingensia summa intercedit similitudo: idem est genus scripturae (cf. Berndii tabula), eadem materies — rem confirmavit Boyseno Falkenbergius, professor tum Gottingensis, nunc Rostochiensis, ex accurata fragmentorum inquisitione; cf. etiam Gardthausenus, Gr. Palaeogr. p. 23 — eadem est denique magnitudo: nam quod fragm. Coloniense 40 versus habet in pagina (270 × 355 mm), Gottingensia autem fragmenta circiter 37 videntur habere, id discrimen facile ita explicatur, ut inter Tychseniana fragmenta et ea quae supersunt papyri particulam casu quodam intercidisse statuamus. Ex mira hac congruentia post Caesarem Paoli et Boysenus et Loewius concluserunt eundem esse librarium: iidem coniecerunt, de uno codice esse cogitandum. Quam coniecturam qui probaverit, duo glossariorum genera coniuncta fuisse censebit: latinograecum secundum genera verborum compositum et graecolatinum ad litterarum ordinem digestum.[2])

Glossariolum utriusque linguae p. 563, 8—36 editum — quod quamquam indolem glossarum respicientes colloquiis reser-

1) Litterae latinae proxime accedunt ad eas, quas man. 1 et 12 Digestorum (cf Mommseni praef. I, p. XXVI sq. et II tab. I; Zangemeister et Wattenbach, Exempla codd. lat. tab. 54) scripsit; litterae graecae ad eas, quae tertiae manui tribuuntur (ib. tab. III).

2) Vnum hoc loco addamus, quod in omnibus his fragmentis glossis aliquot praefixum est hoc signum ⍁, nempe eis, ut putamus, glossis, in quibus aliquid notabile esse videretur. Sunt autem hae: p. **559**, 31; 34; 40; 46; **560**, 1; 46; 66; 69; **561**, 49; **562**, 5; 6; 20; 22; 42; 45; 48.

vare potuimus, propter materiei societatem hoc loco exhibemus scriptum exstat in folio papyraceo oblongae formae, quod in mus Parisino maximo asservatur cuiusque imaginem invenies designata in libro qui inscribitur 'Notices et Extraits', tom. XVIII, 2 (186 tab. XVIII, 4[bis]. Vocabula primum quamquam non omnia recte l. s. p. 126 descripserunt explicaveruntque Brunetus de Presle et Ben dictus Hase, iterum tractavit doctissimeque interpretatus est Fra ciscus Buecheler (Jahrbb. f. class. Philol. 111 a. 1875 p. 309 sq Scripta sunt ductu satis eleganti litteris quae dicuntur cursivis quar ut videtur saeculo. Latina vocabula, quae in primo et in tertio ver leguntur, supra graeca inter versus addita sunt, reliqua tamen scribuntur in ipso versu, nisi quod vox *nonis* (p. 563, 22) inter vers scripta legitur. In paucis quibusdam rebus nostra lectio a Buechel discrepat, ut ex adnotatione apparet.

Glossarum nominum — quas ut ex glossis latino-grae versas hoc loco exhibemus — codex vetustissimus est Amp nianus 42 formae maximae saec. IX membranaceus, de quo prae Loewium Prodr. p. 111 sqq. conferendus est Guilelmus Schu 'Beschreibendes Verzeichniss der Ampl. Handschriftensammlung Erfurt.' a. 1887. p. 35. Continet tria glossaria glossasque nomin loco tertio a fol. 34[u] c usque ad fol. 37[u] c. Inter fol. 36 et duo folia intercidisse, qua lacuna circiter 528 glossas, h. e. litterae finem, integras *defg*, principium *h* litterae absorptas e Loewius perspexit. Vltima glossa est: *lignarium ligneum et* ÷ *fin* quam noli ita interpretari, quasi finis glossarii indicetur: cf. Goetz Ind. Schol. Ien. a. 1888/9 p. V[2]). Quo ex libro has glossas p mus edidit Franciscus Oehler in Iahnii annal. suppl. XIII (a. 184 ita tamen, ut undequadraginta glossas consulto omitteret. Ac reliquas quidem ea qua par erat diligentia tractavit. Glossulas quot recte emendavit, alias corrupit, de longe plurimis videtur sperasse. Ab Oehlero pendet Vincentius De-Vit in glossar quod lexico Forcellini adiecit.

Post Oehlerum anno 1854 Ferdinandus Deycks negle

---

1) Errat Guilelmus Schum qui l. s. s. dicit ultimam glossam esse *lignari lignum et sic est finis.*

2) Non neglegenda sunt, quae in indice librorum suorum de hoc cod ipse Amplonius a. 1412 scripsit (cf. Schum p. 786): *Item antiquum vocab rium secundum ordinem alphabeti de composicione vocabulorum Latinorum, G corum et quorundam barbaricorum et est in se triplex, valde bonum. Qued eciam excerpta de derivacionibus et exposicionibus Huguicionis.* — Imago scriptu est apud Schumium, Exempla cod. Amplon. tab. IV.

Oehleri editione idem glossarium mutilum ex codice monasterii Werthinensis ad Ruram in ind. lect. Monast. (a. 1854/5) edidit, qui de codice suo p. V sic disputat: 'Octo scilicet sunt folia eius formae quam quartanam solent nominare, quorum quidem quatuor ultima dimidia paginae parte sunt mutilata, quum librorum tegumento quondam inservierint. Fuerunt in bibliotheca olim celeberrima monasterii Werthinensis ad Ruram, quae inde a S. Ludgeri temporibus usque ad saeculi XVIII. finem omnis doctrinae laude floruit, magnamque optimorum librorum copiam habuit, cuius vix pauca passim vestigia restant. Sed ut ad folia nostra redeamus octo, scripturam ostendunt ea saeculi fere XI. satis nitidam et elegantem, duabus columnis constantem, in plerisque emendatam ac raro vitiosam'. De fatis horum foliorum paucis egit Guil. Crecelius Mus. Rhen. vol. XXXII (a. 1877) p. 635 sq., ubi narrat, fragmentum glossarum Deycksium ab amico Lacombletio Dusseldorpiensi accepisse, idque etiamnunc in Deycksii heredum manibus esse.[1]) Ex verbis et lacunarum signis quae Deycksius posuit sic fere fuisse dispositas singulas glossas apparet:

fol. 1ʳa 563, 49—564, 26; b 564, 28—565, 9
„ 1ᵛa 565, 12—565, 40; b 43—566, 17
„ 2ʳa 566, 18—566, 47(?); b 567, 1 (?)—567, 30(?)
„ 2ᵛa 567, 31(?)—568, 21(?); b 568, 22(?)—569, 2
„ 3ʳa 569, 5—569, 30; b 569, 33—570, 11
„ 3ᵛa 570, 14—570, 40; b 571, 1—571, 30(?)
„ 4ʳa 571, 31(?)—572, 18(?); b 572, 19(?)—572, 45(?)
„ 4ᵛa 572, 46(?)—573, 32; b 573, 33—574, 18
„ 5ʳa 574, 19—574, 47; b 575, 2—575, 31
„ 5ᵛa lacuna; b 575, 46—576, 16
„ 6ʳa 576, 18—576, 45; b 576, 47—577, 11
„ 6ᵛa lacuna; b 577, 35—578, 5 (?)
„ 7ʳa 578, 6 (?)—578, 35; b 578, 36—579, 8
„ 7ᵛa lacuna; b 579, 18—579, 47
„ 8ʳa 579, 50—580, 19; b 580, 22—580, 49
„ 8ᵛa lacuna; b 581, 8—581, 34.

Ex qua tabula elucet circiter tricenas glossas intercidisse post gl. 575, 31; 577, 11; 579, 8; 580, 49, i. e. circiter 120 glossas. — Mirum sane est, quod nemo ante Loewium perspexit quomodo fragmentum Deycksianum cum tertio glossario Amploniano cohaereat. Idem enim uterque codex glossarium praebet, sed diversa ratione mu-

1) Certe non reddita esse haec folia nobis benigne confirmavit bibliothecae Dusseldorpiensi praefectus Woldemarus Harless.

tilatum. Ex his igitur codicibus pendet editio Gustavi Loewe post ipsius mortem a. 1884 publici iuris facta.

